EXAMEN
Theologico-Philoſophicum
HYPERSOPHIÆ
ANTIBIBLICÆ

EORUM,

Qui

I. Negant Aquas Supercœleſtes Moſaicas, ut, ante hodiernos quosdam Philoſophos, fecit & propugnare ſtuduit Matthias Flacius.

II. Diluvium univerſale particulare faciunt, ut facit Iſaacus Voſſius.

III. Motum Solis & reliquorum ſiderum terræ tribuunt, ut poſt Copernicum plerique faciunt hodiernorum Aſtronomorum.

INSTITUTUM

A

M. ABDIA TREW, Mathematum & Phyſices in Univerſitate Altdorffina Profeſſore Publico.

Demoſthenes:

Πολλῶν τὸ σοφὸν ἠλίθιόν ἐστι.

NORIBERGÆ,

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

58700 (19)

ILLUSTRI VIRO,
DN.
DN. OTHONI OTHONI,
ab & in MAUDERODA,
Sereniſſimæ & Potentiſſimæ Domus Brunſvvicenſis & Lunæburgenſis Conſiliario Intimo, & ad Comitia Imperialia Legato Excellentiſſimo,

PATRONO MEO MAGNO,

Salutem & obſervantiam.

ILluſtris Domine, Patrone Magne. De Heroſtrato quodam refert Strabo , quod templum Dianæ Epheſinæ , toto terrarum orbe tunc à ſingulari ædificii ſplendore & Magnificentia celebre, incenderit nulla alia de cauſa vel ſpe , niſi quòd famam & celebritatem nominis inde ſe adepturum ſperârit. Non multum diſſimiles huic Heroſtrato mihi videntur ii, qui ſapientiæ ſingularis laudem quærunt perverſione ſacræ ſcripturæ, quæ res eſt omni ædificio, omni templo, humana manu, quamvis propter veri, nedum falſi Numinis, ut Diana fuit, cultum ſpecioſiſſime extructo, multo præſtantior & excellentior. An non verò dolendum eſt, eſſe homines, qui laudem Sapientiæ quærant in labefactandis iis libris, qui ſoli veram & ſummam ſapientiam continent? An non ſumma inſipientia eſt , ſummæ ſapientiæ interitum mi-

nari? Etſi verò hoc novum non eſt, ſed dudum id fecerunt falſi Doctores, & quidem circa præcipua fidei capita; idque non ſine ſucceſſu apud ſui ſimiles: minus tamen profecerunt apud pios & ſimplices; quàm ſperârunt. Pii enim præcipuos fidei articulos, ſaltem quoad principalia rectè perceptos, non ita facilè eripi ſibi patiuntur, & lux illa ſemel in animis accenſa facilè diſcutit vanas ſophiſmatum contrariorum umbras. Apud ſimplices verò quin poſſint facilè hærere ſophiſmata, cum precibus quotidianis itentidem ingeminent illud pſalmi; *ſimplicitas & rectum cuſtodiant nos*. Sed novum nunc aucupium molitur hoſtis Divinæ veritatis & ſimplicitatis, dum ſcilicet per malè feriatos, quamvis fortaſſe gravitatem rei minus, quàm par erat, perpendentes, aciem ingenii ſapientiæ & eloquentiæ intentatam iis ſcripturæ dictis, quæ fidei articulos ex profeſſo continent, experitur in iis, quæ ad ſalutem directè ſpectare non videntur. Quo ſtratagemate duo obtinere videtur apud minus attentos, primum eſt, ut, quia quæſtio talis ſalutem directe concernere non videtur, itaque vel nulli, vel pauci, vel non niſi ſegnes inveniantur veritatis in hiſce defenſores. Hinc conſequitur alterum, ut falſa illa principia, â victoria de hoſtibus minus pugnacibus recentia, authoritatem & novam quaſi firmitatem accipiant contra magis gravia & ſeria; imo fieri poſſit, ut ſemidocti, etiam non auditis vel non intellectis ejuſmodi ſophiſmatibus, ſi tantùm audiant, eſſe virum hunc vel illum eruditione celebrem, qui novam aliquam ſententiam veteri, quamvis ſolidæ, contrariam profiteatur, dubi-

tare incipiat de eo, quod pro certiſſimo hactenus habuerit. In hunc cenſum referenda mihi viſa ſunt tria potiſſimùm ſuper ſcripturæ dictis certamina, quorum primum eſt de ædificio mundi & aqua primi creationis diei extructa; ſecundum de Univerſalitate Diluvii; Tertium de Motu quotidiano cæleſtium corporum, terreſtribus mira, ut ſibi videntur, ſubtilitate ab ipſis transſcripto.

Non videtur ſane per ſe ad ſalutem neceſſarium, ſcire, ex qua materia facti ſint cœli, modò â DEO factos eſſe ſciamus & credamus. Non magnopere laborandum videri poſſit, ut ſciamus, quo ſupplicii modo DEUS primum mundum affecerit, modò affeciſſe ſciamus, & a malitia ſimili caveamus. Non pertinere putatur ad ſalutem æternam, modum ſcire, quo viciſſitudo lucis atque tenebrarum mundo obtingat, modò obtingere, idque DEO authore agnoſcamus. Quia tamen ad veritatis ſtudium in ſe perinde eſt, ſive in his, ut putantur, vilibus, ſive in gravioribus negociis & quæſtionibus ea violetur, nec minus verbum DEI eſt, quo mundi creatio & punitio deſcribitur, aut motus ſiderum celebratur, quàm quo ad æternam beatitudinem immediatè ducimur; ego vero ad repellenda ejusmodi Tela, præſertim cum in profeſſionem meam recidere viderentur, præſidiis non omnino nullis eſſe me debere putarem inſtructum; non putavi facere me poſſe, quin libellam â DEO mihi concreditam huc quoque conferrem, & ſacræ ſcripturæ ſenſum, ſophiſmatum humanorum minutiis labefactatum, non minus philoſophicis telis propugnarem, quàm, quod tanquam Studioſus Theologiæ

ante hac feci, ſcripturæ fundamentis confirmaſſem. Queın meum conatum cum Illuſtrem Excelleetiam Tuam valde probare, ex filio meo, tunc cum Calendarium meum humillimè offerret (non modò ad alloquium clementer admiſſo, ſed etiam multis aliis beneficiis & honoribus, quibus nunquam parem gratiam referre poſſumus, mactato) qui ejus mentionem fecerat, intellexiſſem, Illuſtri tuo nomini ſcriptum hoc de hac materia meum ſubjicere volui. Etiam atque etiam petens, ut Illuſtris Excellentia Tua hanc παῤῥησίαν in bonam partem accipere, libellum ipſum, ſi tamen ob exilitatem hoc nomine dignus eſt, ſerena fronte dignari, & gratia atque clementia, qua me meosque hactenus eſt complexa, complecti porro ne dedignetur.

DEUM precor, ut Illuſtrem Excellentiam Tuam cum tota Familia ſalvam & incolumem bono publico quàm diutiſſimè conſervet. B. V.

Datum ex Muſæo Altdorffino Calendis Maÿ A. M DC LXVII.

ab

Illuſtris Excellentiæ Tuæ

obſervantiſſimo Cliente

M. ABDIA TREVV, in Univerſitate Altdorffina Math. & Phyſ. Prof. Publico, & Fac. Philo-

EXAMEN
THEOLOGICO-PHILOSOPHICVM
HYPERSOPHIÆ ANTIBIBLICÆ
Eorum, qui negant aquas ſupra Cœleſtes Moſaicas.

THES. I.

ETſi minimè probanda eſt eorum ignavia, qui loca Biblica perfunctoriè tantùm inſpiciunt: non minùs tamen reprehendendi ſunt ii, qui in Sacris Literis ita ſunt curioſi, ut in iis nihil rectè dictum putent, niſi quod intellectus eorum ſtatim capiat. Et ſi non capiat, ſenſum ipſi affingunt, quem, ſi vel parum rectius attendiſſent, cum verbis ſtare non poſſe ipſi facilè vidiſſent.

II.

In utroque horum peccatum eſt, 1. circa primum DEI opus in creatione, quo ex aquarum mole primæva cælum & terram extruxit, 2. circa primam totius mundi pœnam, qua aquis totum orbem terrarum obruit. Et 3. tandem circa maxime conſpicuum & illuſtre opus DEI in cœlo, motus ſcilicet cœleſtes.

III.

De primo, primo loco agemus, & quamvis articulus fidei non videatur, quia tamen in doctrina primi articuli Fidei continetur; itaque hac etiam in parte *Lucernam pedibus noſtris Verbum Domini* conſtituemus. Verba ipſius Moſis formalia, verſione tamen expreſſa, ne tenebras Hebræa ignorantibus offundere velle videamur, adducemus, initio facto à mundi ex aquis facto ædificio.

IV.


Sic ergò Moſes Dialecto Latini Interpretis: *Dixit quoque DEVS: Fiat Firmamentum* (rectius *expanſum*, extenſum, tenuior & ſubtilior reliquis mundi partibus ſubſtantia, & hanc vocem deinceps retinebi-

mus, ubicunque vox Firmamenti occurrerit) *in medio aquarum ſeu inter aquas*, hoc eſt, inter duas aquæ, cui Spiritum Domini ſupernataſſe verbis prioribus dixerat, partes (quarum ſuperior reliquâ ſubtilior, expanſo tamen illo intermedio, ut videtur, paullò Craſſior) & inferiorem terrâ adhuc, ut ſequentia oſtendunt, prægnantem fecit, non nova ex nihilo Creatione, ſed initio primæ extenſione quemadmodum bullæ aquaticæ per ſiphunculum aquæ ſaponariæ intinctum afflatæ, ſubſtantiam tenuiorem, uno verbo aërem, *& dividat aquas, quæ erant ſub expanſo*, hoc eſt, aquas propriè dictas, & terrâ nondum inde ſeparatâ permixtas *ab aquis ſuper expanſo*. Has inquam partes molis il lius primigeniæ Creator expanſo illo intermedio ab invicem diſcedere juſſit, & factum eſt ita. *Vocavitque DEVS expanſum Cœlum.* Cœlum itaque Creatori eſt omne id, quod eſt inter partem mundi ſupremam tanquam corticem, quaſi qua s vocat aquas (hoc eſt partem aquarum primævarum, quam verſu ante edente deſcripſerat) ſuperiores, & inter infimam, quam globum è terra & aqua conſtantem dicimus. Et ut hæc eò rectius intelligantur addt iinſuper & modò dicta clariùs explicat dicens: *Et fecit DEVS expanſum, diviſitque aquas, quæ erant ſub expanſo, ab his, quæ erant ſuper expanſo Et factum eſt ita, vocavitque DEVS expanſum* in medio aquarum poſitum *cælos*; toto itaque cælo diviſę ſunt â Creatore aquæ illæ ſuperiores ab inferioribus. Hæc ſunt verba Moſis de tota Mundi machina, quæ quoniam obſervationibus Aſtronomicis, Geographicis & Phyſic is obvia etiam eſt, quid obſervatum ſit de eadem re ab artium illarum Cultoribus, paucis videbimus.

V.

Terram itaque globum eſſe conſtantem è terra & aquis, quibu quaſi perforatus ſit, notum eſt, & ſi non eſſet, ex verſus 9. & 10. ſequent conſtare poſſet. A terræ globo usque ad Cœlum ſupremum ponit Mo ſes Rakia, hoc eſt, ut diximus, ſubſtantiam tenuem. Eodem mod Aſtronomi Tychone duce obſervarunt à terra & aquis terreſtribus, qui bus non ineptè vapores in perpetua aquæ & aëris vaporalis viciſſitudin verſantes conjunguntur, ſummam limpitudinem ad Cœlum usque ſu premum, quod ſtellis fixis tribuunt, præditam eſſe dicunt; except regione infimâ, quæ nubibus fœcundis ad ſesquimilliare, ſterilibus ve

Theſ. 4. &
Part.1.pag.2.



Totum hoc ab hodiernis Aſtronomis & Geographis ἀτμοσφαίρας à Moſe, Aquarum inferiorum nomine vocatur.

Spacium hoc hæc omnia comprehendens vocatur à Moſe רקיע expanſum. Gen. 1. v. 6. 7. 8. It. v. 14. 15.

N.O. Sphæra vel fixarum vel fixis proximè ſuperior, à Moſe Aquarum ſupra expanſum nomine vocata, quod ab Aquis primi diei extendendo & ſurſum tollendo extructa ſit.

Videtur Sapientia divina juxta illud prov. 8. v. 30. In creatione Mundi docuiſſe ludum puerorum, qui ex aquâ ſaponariâ flando & extenuando & expandendo extrudunt quaſi bullas mundi aquaticas.



ad decimum tertium usque milliare polleat dividunt. Vide *Chriſtian. Severini Longomontanum Aſtronomiæ Danicæ parte prima, p. 147. Kepplerum in Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ p. 70.*

V I.

Quod verò de Diviſione Mundi in regionem æthercam & elementarem, elementaris poſt globum terrenũ in aërem & igneam, æthereæ in orbes planetarum & fixarum diviſæ dicunt, id formaliter & Mathematicè ita eſſe concedimus, hoc eſt, dicimus aërem in infima regione craſſum primò nebulis, quæ aliquid terreæ ſubſtantiæ continent, locum præbere, poſt aliquid aquæ, inde aërem ferè purum, igni tamen materiam paullatim præbentem, inde igneum dicimus. Hinc ſequi orbes ſingulorum planetarum usque ad ſphæram ſtellarum fixarum, ultra quam ſi quid aliud ſit, nobis in Aſtronomia ignotum fatemur.

V I I.

Has verò Regiones negamus ita diſtinctas, ut ſunt diſtincti cæparum folliculi, ſed priorem ſemper in ſequentem paullatim immeare & in illam mutari. Hoc enim niſi ſtatuamus, Hypotheſin illam Tychonis obſervationibus illuſtrem, quibus demonſtratum eſt, refractiones aëre æquabili in ſtellis, poſtquam viginti circiter gradus ſuperarint, vix amplius obſervari, ſubruemus. Quemadmodum & quod ipſe Ariſtoteles orbes planetarum ſolidos putavit, unde vox firmamenti nata eſt, falſum, iisdem argumentis à Tychone deprehenſum eſt.

V I I I.

Eatenus tamen longius progreſſus eſt Tycho, quòd ignem elementarem prorſus à ſede, quam Phyſici illi aſſignant, deturbavit. Diſtinguendum enim inter ejus ſubſtantiam & regionem. Aërem enim magis magisque incaleſcere, donec tandem in ignem ferè (non tamen prorſus purum) deſinat, concedimus. Regionem autem ignis ab aërea inſtar folliculi cæparum, ut diximus, diſterminatum eſſe negamus, ducti ratione non tantùm hac, quod illa contiguitas diverſorum corporum, refractionibus, quæ tamen ibi nullæ ſunt, proderetur, ſed &, quod nullum elementum præſertim qualitatibus ſymbolicis præditum, alii ita contiguum eſſe poſſit, ut neutrum alterum immeet & in ipſum agat, ut nutrimento ejus fruatur, quia cauſæ naturales ſibi contiguæ, non poſſunt non mutua immeatione in ſe invicem agere.

IX.

Si quæras quouſque pertingant elementares hæ regiones, & cujus ſubſtantiæ ſit id, quod illis ſurſum ſuccedit. Hîc veteres Sphæram ignis tanquam ſupremam à Lunari, Lunarem à ſuperioribus planetis excipi ſubinde dixerunt. Ut ita Sphæra ignis ad Lunam usque pertingat, cujus Sphæra tanquam durior Elementares Regiones aliàs fluidas intra ſe comprehendat. Hanc à Sphæris reliquorum planetarum ſuo quoque ordine comprehendi. Sed hoc, ut diximus, reſpuit iterum partim refractionum doctrina, quæ in diverſis globis, tanquam in vitro fracto, incertas & irregulares apparentias ſiderum exhiberet, partim ipſi orbes planetarum ſeſe invicem tranſeuntes adeoque omnem ſoliditatem excludentes.

X.

Liquida ergò eſt illa quoque regio usque ad regionem ſtellarum fixarum. Sed cujus ſubſtantiæ? Kepplero auram æthercam vocari placuit, eam partem, quæ eſt inter vapores & Cœlum ſupremum, quæ tamen, quomodo ab aëre differat, vel ipſe dicere, vel ego intelligere hactenus non potui, præſertim cum ipſe Kepplerus in Eclipſibus earumque ex refractionum varietate attributa aërea ipſi aſſignet. Ego circa Lunam adhuc majori parte aërem, poſt, præſertim ubi ad Martem calidæ & ſiccæ operationis planetam ventum eſt, igneam exiſtimo. Tenuiſſimæ tamen ſubſtantiæ omnia, quæ omnem refractionem excludant.

XI.

Auram hanc æthercam, ſive aër, ſive quicquid aliud ſit, frigidiſſimam deprehenſam eſſe affirmant nonnulli hodiernorum Aſtronomorum. Sed hoc, quia repetitur in parte ſecunda, reſponſionem noſtram eò differemus.

XII.

Si quis itaque à me quærat, quid eſſe putem aquam illam Moſaicam ſuperiorem, quam Moſes per Rakia ſeu liquidam illam ſubſtantiam ab aquâ inferiori diremit, clarius prius dicam, vel potius à Moſe ipſo ſatis claré dictum repetam, quid in illo Rakia comprehenſum ſit? inferiori ſc. parte nubes, ſuperiori parte ſtellas ſaltem erraticas: Sic enim Moſes v. 14. *Fiant Luminaria in firmamento*, hoc eſt, in Rakia, in liqui-

hac etiam in parte Philoſophis ſui ſeculi, quamvis facem nondum præferente Tychone plurimis annis illo poſteriore) *ut luceant in expanſo cæli,* hoc eſt, ut ſæpè dictum, in liquida illa ſubſtantia & illuminent terram.

XIII.

Si, inquam, jam quæras, quid ſit aqua illa Cœleſtis expanſo hoc, ut Moſes diſerte dicit, ſuperior? Reſpondeam: vel Sphæram fixarum, vel fixâ proximè ſuperiorem.

XIV.

Sed num ſubſtantiæ propriè aqueæ. Ad hoc reſpondebo, ſi tu mihi prius reſponderis, aqua illa primi diei, cui Spiritus Domini primo die incubuiſſe dicatur, num aqua pura propriè dicta fuerit? negabis opinor, ſi conſideraveris, quod poſtea dicitur, terram poſtea inde emerſiſſe, imò ſi recordaberis: Moſem primo ſtatim verſu molem totam initio creatam Cœli & terræ nomine inſigniviſſe. Fuit ergò pars globi aquei primævi ſuperior, tenuior, aërior, ſive aëri puriori permixta, ſive quod propius accedit ad communem Phyſicorum ſententiam, propriæ, quam æthercam dixeris, ſubſtantiæ, uno verbo, cortex eſt quaſi totum univerſum ambiens, & ſine mora ſtellas fixas circumvehens vel circumvehentem ut capſâ continens, naturam habens, non quidem propriè aqueam, aquæ tamen Analogam.

XV.

Et hanc, ut obiter hoc addamus, Cometarum putamus materiam ſive tunc ſtatim factorum, & ad tempus apparitionis à Deo decretum reſervatorum, quod olim placuit; ſive, quod jam placet, angelorum miniſterio, tempore eo, quod DEO placet, conglobari ſolitam, ad peculiare quid terricolis indicandum. Hinc Kepplerus in Camera optica Cometæ ſpeciem globi vitrei à luce perluſtrati adminiculo repræſentare docuit.

XVI.

Expoſuimus hactenus noſtram, imò Moſis & ipſius Sacræ Scripturæ ſententiam. Videamus jam alios, inter quos occurrunt primò *Doctores Scholaſtici*, qui hujus loci occaſione novam Sphæram, quam aqueam, & quidem, ne deflueret, adeòque cælum rueret, quaſi glacialem & Cryſtallinam fecerunt. Hos nobiſcum ſentire dicimus eatenus, quate-

eſſe ſtatuerunt, omiſſis reliquis imaginationum quisquiliis. Nam, ut ſupra dictum, quod aqua dicatur, non fit ideô, quod aqua ſit noſtræ Elementari, etiam poſt illam elevationem, per omnia ſimilis. Sed quod á globo aqueo primævo, & parte illius ſuperiori, tanquam ſubtiliori & fortè aëreæ potius quàm aqueæ, imò æthereæ prorſus naturæ deſumta: Et ad hanc machinam ex proprio potius cerebro, quam è textu Moſaico, ſi illum rectè inſpexiſſent, fabricatam, tela ſua direxerunt alii Philoſophi, putantes ſcilicet, ſi qualitercunque probaſſent, hanc opinionem Scholaſticam non per omnia locum habere, ſuam neceſſariò habere.

XVII.

Nubes ſcilicet hoc loco putant intelligi, quod parum abeſt, quin dicam ſententiâ Scholaſticorum multò abſurdius, a verbis certè Moſis multò alienius. Nam 1. cum nubes, ut ante diximus, vix ſeſquimilliari ſint à terra elevatæ, quomodo ab inferioribus, cum quibus in perpetua vaporum in pluvias, & pluviarum in vapores mutatarum viciſſitudine verſantur, cœlo ſtellis repleto diſcriminati ſunt? Hinc Moſes diſertè dicit, tenuem illam & ſubtilem Cœli ſtellati aërisque & ignis ſubſtantiam ſeparare aquas illas ſuperiores ab inferioribus. 2. Nubes, tunc præſertim pluviis fæcundæ, unde aquæ dicendæ fuerint, nondum fuerunt, ſed die demum creationis ultimo, ut Moſes docet, ex vaporibus aſcendentibus, eodem prorſus modo, quo Phyſici de Meteoris docent, natæ & in aquas pluviales reſolutæ Gen. 2. v. 6. *Fons* inquit vulgatus, imò *vapor* אד ut habet Hebræus & verſio Germanica Lutheri, ein Dampff/ aſcendit de terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ. Quomodo vapor aſcendens à terra rigare potuit ſuperficiem terræ? mutatus ſcilicet ſuperius in nubes, & poſtea in pluvias reſolutus deſtillans. 3. Aquæ illæ pluviæ, vel pluviis deſtinatæ, hoc eſt, vapor & nubes non ſunt revera ab aquis inferioribus ſeparatæ, ſed prorſus contiguæ, imò magnâ parte permixtæ, ut cælo pluvioſo montes aſpicienti planum eſt. Quippe qui non rarò ultra nubes craſſiuſculas prominent, illæ vero Moſaicæ ab inferioribus toto Cælo ſeparatæ ſint.

XVIII.

Sed nimium ſibi placentes nonnulli Hebraiſtæ occurrunt hîc nobis commemoratione variarum ſignificationum particulæ על quæ *non ſemper* ſignificet ſuper vel ſupra, ſed interdum *juxta*. Sed niſi me omnia

fallunt, vel obliti ſunt tales officii Interpretis, vel nunquam rectè illud tenuerunt. Sufficitne hoc ad interpretationem, ut variæ ſignificationes vocis commemorentur? Arbor Tantali eſt ejusmodi interpretatio, poma plurima Ori eſurienti admovens, arrepturo omnia ſubducens. Ita tu ſignificationes varias mihi commemoras, nullam applicas, aut, an, & quomodo quadret, vel non quadret, oſtendis. Eſtnè hoc Interpretem agere, variarum ſignificationum commemoratione, nullius verò applicatione, auditorem vocillantem reddere, ut his auditis incertior ſit quàm ante. Minus moveret me hæc Interpretatio, niſi dudum vidiſſem Photinianis, ita familiarem, ut ante ipſos fuerit inaudita, quos Præceptores mei comparabant militibus mercenariis, qui aliena deſtruerent, propriorum nihil haberent. Quod non eo animo dico, quaſi tales Photinianiſmi condemnare velim, nihil enim in hac quæſtione, quod quæſtiones propriè Photinianas concernat, ſed ideo tantum, ne nobis placeamus diſputandi modo tali, qui ſtolididate potius, quàm ἀκριβεία, ut ipſi ſibi imaginantur, aliis arrideat. Nos noſtram ſignificationem convenire ex contextu oſtendimus, ubi illi opponitur vox תַּחַת. Separavit DEUS aquas infra Rakia ab aquis ſupra Rakia, quid hoc planius? ubi ei, quod eſt ſupra, opponitur id, quod eſt infra. Quid tu cum tuo *juxta*. Separavit DEUS aquas infra Rakia ab aquis juxta Rakia? Quæſo oſtende locum illum, qui ſit juxta Rakiâ, cum ipſum Rakia terræ globum circumcirca ambiat. Ubi ergò ponendum eſt id, quod juxta poſitum dici debet.

X I X.

Sed ne in auditi damnari videantur Ixiones iſti nubes pro Junone amplectentes, argumenta illorum videbimus, & quidem apud *Flacium in Clave Scripturæ.* Etſi enim liber ille novus non eſt; niſi tamen admodum fallor, primus hic eſt illius Interpretationis author, & pauca, quæ quidem ſint alicujus momenti, dicere videntur hodierni, quæ ille non dixerit prius. Quid ergò dicit author ille? *Rakia,* inquit, *ſignificat aërem & quidem inferiorem* (quô nubes ſuperiores ſunt) *quia in Scriptura aves in eo volare perhibentur.* Sed cur non potius ita? Rakia illud eſt Cœlum ſtellatum, quia Moſes id non tantum dicit v. 8. Sed etiam Solem, Lunam & Stellas in eo poſitas dicit, quia ergò aquæ illæ ſuperiores ſunt

quia eſt vaſtiſſimum illud ſpacium, in quo omnia, quæ ſunt intra atmoſphæram, ut hodiè loquuntur, & cœlum ſupremum comprehenſa.

X X.

Secundum argumentum proponam ipſius authoris verbis; meis enim non poſſum, aut, ſi poſſem, metuerem, ne conqueratur de injuria. *Quia*, inquit, *ſecundâ die, ubi de iſtis ſuperioribus aquis agitur, non exornat Deus ſupremam regionem Cœli, ſupra quam iſti ſomniant aquas collocari (quod demum in quarto fit, ubi fabricat ei luminaria & ſtellas) ſed hanc infimam, &c.* Pro ornamento itaque ædificii cœleſtis author habet aquas illas, non pro parte. Interim ſomniare nos dicit ea, quæ Moſes diſertè affirmat. Ego vero dubito, ſomnietne, an vigilans diſputet, quia ita argumentatur; Deus, poſteaquam diviſit aquas ſuperiores ab inferioribus, exornationis initium fecit ab inferioribus, ergò ne ipſum quidem ædificium cæli ex aquis extruxit. Quæ conſequentia? Et quid dicit Moſes v. 16.17. quando ornatum ſuperiorum mundi partium deſcribit? Solem, Lunam & Stellas poſitas eſſe dicit בִּרְקִיעַ in ipſo Rakia. At v. 6. & 7. dicit רקיע interpoſitum eſſe inter aquas ſuperiores & inferiores. Ergò רקיע non eſt ſupra aquas ſuperiores & ab inferioribus diſcriminatas, ſed ſub iis.

X X I.

Tertium argumentum ita habet, *Pſal. 104.* inquit: *prædicans admirabile opus Creationis, & veluti integrum primum Geneſcos caput percurrens* (ſi rectè attendas, Pſalmus ibi non tàm creationem, quàm res creatas, quomodo hodiè ſint, celebrat) *mox poſtquam de expanſione Cœli dixit, addit de aquis in ſublimi poſitis, veluti pro fundamento domicilii Dei ponit, ut omninò appareat aquas cœleſtes, nubes & ventos eodem loco poſitos eſſe*, de hoc agetur infra clarius Th. 44. Hic interim ponamus, quod Pſalmus etiam ſuperioris illius partis Cœli & nubium, verſibus proximè contiguis, mentionem faciat, propter Analogiam & ſimilitudinem duorum operum, primi, quod die Creationis ſecundo aquæ primævæ partem ſupremam altius inſuper elevavit, quod ſcribit Moſes Gen. 1. v. 6, 7. ſecundi, quod vapores à globo terreno elevatos perinde ac Cœlum ipſum ſuſtentet tam diu, donec Deo volente, & cœli influxu ita requirente per pluvias decidat. quid hoc priori illi aquarum elevationi nocebit? Sper-

bium, ad miraculum confugit, ne ſcilicet cogatur concedere aëris, vel vaporum ex aëre majori ex parte Conſtantium, reſolutionem ſubitam in aquas pluvias. Mihi verò hoc videtur multò admirabilius, quod rupturæ nubium non ſæpius fiant. Cum vix videatur reddi poſſe diverſitatis ratio, cur unâ vaporum particulâ in aquas reſolutâ, non ſtatim reſolvatur etiam alia, imò tota maſſa vaporum ejusdem loci, ſed major pars in ſublimi hærere pergat, donec reſoluta ipſa quoque particulatim decidat. Ut ergò hoc opus DEI nubes in ſublimi ſuſtinentis & in ſe præclarum, & ei operi, quò partem aquarum primigeniarum in ſublime evectam per totum tempus durationis mundi ibidem ſuſtentat, affine eſt, ita non mirum eſt ſimul celebrari, nec tamen ſequitur ex hac ſimultanea celebratione, prorſus idem utrumque eſſe.

XXII.

Quartum argumentum ita habet. *Quia, inquit, Moſes tantum duplices aquas novit, videlicet quæ ſunt ſupra Cœlum & infra. Eſſent autem triplices, ſi aliæ eſſent ſupra omnes Cœlos, aliæ in terra, aliæ denique in media aëris regione.* Ubi dicit Moſes duplices eſſe aquas? Ibi ſcilicet, ubi duplices ſcripſit, duas ſcilicet partes aquæ primævæ, hoc eſt, molis illius, quæ omnes mundi partes eminenter, continebat. Sequitur ne verò inde, quod nihil aquarum ſit alibi etiam? quid ſi aquarum inferiorum duas vel plures inſuper ſpecies deſcribat? Ut ſanè facit Gen. 2. v. 6. negabisne pro pietate tua triplices eſſe, duas quidem illas, in quas molem primarũ aquarum diviſit, tertiam, quæ capite ſecundo ex vaporum reſolutione naſcatur, ſed ut dicam quid ſentiam. Mihi perinde eſt, ſive triplices ponantur aquæ, ſive hæ aquæ in fine creationis ex vaporibus natæ pars ponantur aquarum inferiorum, præſertim cum ab iis ortæ ſint, adeoque materialiter cum illis conveniant. Quicquid dicatur, Flacius ſuo hoc argumento nihil contra nos efficit, cum abſurdum, quod nobis objicit, non abſurdum, ſed id ipſum ſit, quod Moſes dicit. Aquas ſcilicet illas, quas Moſes ultra Cœlum initio Creationis levatas dicit, non eſſe aquas vel nubium vel pluviarum, ſed aquas pluvias & nubium eſſe eas, quæ per vaporem ab inferioribus quotidiè eleventur, Gen. 2. v. 5. 6. Has, ut clarius loquamur, easdem eſſe dicimus cum inferioribus materialiter, quatenus ab inferiori illa in vapores mutatâ aſcendant, & quatenus per deſcen-

merò tantiſper, dum adhuc ſub nubium ſpecie in aëre ſuſpenſæ ſuſtentantur.

X X I I I.

Quintum argumentum aquas illas ſuper cœleſtes Moſaicas non eſſe diverſas ab aquis Nubium & pluviarum. *Quia tempore diluvii dicantur eſſe ruptura nubium, quæ ſanè ex media regione aëris, non ex ſummo & Cryſtallino Cœlo veniunt. Fatentur etiam ii, qui tuentur illas Cryſtallinas aquas, eas ad diluvium non eſſe idoneas, quia ſint longè puriſſimæ, ſimpliciſſimæ & veluti liquidus quidam aër.* Sint omnia hæc vera, quid indè ſequitur? Ergone falſum eſt, partem aquæ primigeniæ à Creatore ſumtam & uſurpatam, ut inde partem Cœli ſupremam conſtrueret? per Catarractas Cœli in diluvio apertas quid intelligatur, ſequenti fortaſſe quæſtione pateſcet. Hîc concedo aquas illas ſecundi diei in diluvio de Cœlo non decidiſſe, nec tamen inde ſequi, quod prorſus non ſint.

X X I V.

Sextum argumentum ita habet, *Quia*, inquit, *nobis quotidie adhuc ſuum aquarum Theſaurum ex media regione aëris communicat non Cœlo Cryſtallino, illic ergò ſunt iſtæ ſuperiores aquæ.* Reſpondeo, aquas per pluvias à DEO nobis communicari ſolitas, eſſe mediæ circiter regionis aëris, concedimus. Quòd verò aquæ ſuperiorum Cœli contignationum per pluvias decidant, petitionem principii ſapit. Moſes certè nullibi id affirmat. Nec aliis fortè affirmantibus nos aſſentimur.

X X V.

Septimum argumentum. *Quia id agit Moſes, ut nobis deſcribat creationem rerum viſibilium, quibus uti ac frui quotidiè cogimur, non eorum quæ nobis & occulta & inutilia ſunt* (inutilia? audiemus, quænam ſint illa inutilia;) *Deo etiam nihil de angelorum Cæleſtium, paradiſi, aut inferni creatione ſcribit, imò nec de lapſu quidem angelorum, quæ nobis minus neceſſaria aut etiam poſſibilia ſcitu ſunt.* Sanè de Angelis ſcire tunc temporis minus neceſſarium fuiſſe Moſes eo ipſo oſtendit, quod nihil de iis ſcripſit, idque fortaſſe ideò, quia homines difficulter Angelos à DEO diſtinxiſſent, ut ſanè videmus in Ethnicis v. g. in Cicerone, qui in ſuis libris de Natura Deorum, parum delectus habet in argumentis, quibus Spiritus bonos & malos apparuiſſe dicit, ab iis, quibus Deum eſſe proba-

nò inutile, ſed neceſſarium eſt, aliàs ſcripta non eſſent. Sed quæ conſequentia? Moſes nihil ſcripſit de Creatione Angelorum. E. nihil ſcribere etiam debuit de aquis cœleſtibus, quantumvis ſint pars integralis ipſius Mundi, cujus creationem deſcripturus erat, quamvis ſcripta eſſe, ipſi oculi nos convincant. Pergit author; *Quæ ergò eſſet iſta imprudentia Moſis, ſi omiſſis iſtis utiliſſimis & miraculoſiſſimis aquis mediæ regionis, illas ignotas ac inutiles Cryſtallinas ſuper omnes Sphæras exiſtentes deſcriberet?* Multa ſunt hîc reprehenſione digna. 1. Deſcriptionem aquarum pluvialium Moſen nequaquam tacuiſſe, ſupra audivimus, quamvis non in hiſtoria primævæ creationis; quia ſcilicet productio illarum, non in creatione, ſed in quotidiana generatione vaporum ex aquis inferioribus, nubium ex vaporibus, pluviarum ex nubibus, conſiſtit. 2. Utiles ſint, nec ne, aquæ illæ Cœleſtes, vel Flacianæ noſtræ? non decet pronunciare, antequam, ſint, nec ne? exploraverimus. Sint autem, nec ne? non ex cerebro ſuo divinare, ſed ex authore, & quidem divino, diſcere debuit præceptor hic noſter. Et Imprudentiæ imputare, quæ ſcripta videas, ſi non ad tuum palatum exponantur, magnæ imprudentiæ, imò impudentiæ eſt.

XXVI.

Octavum argumentum. *Quia cum DEUS ſiccitatem minatur, prædicit, ſe daturum Cœlum ferreum ac æneum, item Cœlum clauſum, loquens* (quod nemo dubitat, & Lutherus ac Ambroſius aſſerunt) *de infima regione aëris.* Concedimus hæc omnia: ſed quid inde ſequitur? *Igitur,* inquit, *aquæ Cœleſtes, quas ipſa cœleſtia clauſtra à nobis arcent, ſunt proximè ſuper infimam aëris regionem, quæ, veluti ferreum & clauſum obturatumque quoddam fundum aut contignatio, non patitur, easdem ad nos defluere aut pluere, donec Dominus iſtam concluſionem clementer aperit? ſic enim ipſemet Spiritus Sanctus iſtas res pingit. Deut. II. 1. Reg. 8. 2. Par. 6. Luc. 4. Reſp.* concedimus & hæc omnia. Sed iterum quærimus, quid inde ſequatur? num hoc? aquas illas, quæ pluviarum tempore decidunt, ſiccitatis tempore non decidunt, quia fortaſſe nullæ aſcenderunt, ut colligi videtur, ex 1. Reg. 14. v. 44. eſſe eas, quibus Cœlum ſupremum conſtructum eſt? Falſum contra eſſe, quod Deus ex parte ſubtiliori aquarum primi Diei Cælorum cœnacula extruxerit? Argo oculatiorem dixero, qui hoc viderit, Tamyri cæciorem & ineptiorem, qui, cum non vi-

XXVII.

Noni argumenti loco dicit author: *Quia non ſine cauſa diligenter Moſes dicit de ſeparatione & veluti ſubiecto fulcro aut firmamento aquarum, quæ ſunt ſupra nos.* Non ſine cauſa Moſem diligenter inculcare ſeparationem aquarum ſuperiorum ab inferioribus, libenter fatemur, ſed quam putatis? hanc ſcilicet ipſam, quam ille putat ſententiæ contrariæ, ne ſcilicet putemus intelligi in ſupremo cœlo aquas inferioribus contiguas, ut ſunt pluviales, ſed ſeparatas & quidem longiſſimè, terræ ſcilicet ſemidiametris plus 14000. ut Tycho minimè liberalis talium æſtimator æſtimat. Sed audiemus qualem ille afferat; *Nam,* inquit, *experientia diluvii, & etiam quotidiana docet, nobis, totique terræ, & omnibus in ea exiſtentibus, periculum eſſe ab aquis, quæ in aëre miraculosè ſuſpenſæ ſunt, & veluti in utre concluſæ, ut Job loquitur: non ab illis, quæ alicubi extra totam æthereàm regionem, adeoque planè extra totum mundum ſunt.* Quæro iterum, quæ conſequentia? quæro, quis dixerit, periculum rupturæ nubium eſſe ab aquis ſupra cæleſtibus? De aquis autem nubium hoc loco monere, nihil attinuit, cum mentionem illarum Moſes hîc non fecerit, nec facere potuerit, quia & tunc nondum fuerunt, &, ut ſupra dictum, revera ab inferioribus tam diligenter, ut Moſes inculcat, ſeparatæ non ſint.

XXVIII.

Decimum argumentum. *Quia DEVS omnia ad uſum hominis condidit, & nihil planè fruſtra. Quis tandem uſus harum eſt aquarum extra omnes Cælos & extra totum mundum exiſtentium, præſertim cum illas aquas affirment iſti diverſiſſimæ à noſtris naturæ eſſe? Nullæ ergò ibi aquæ ſunt.* DEUS bone! quot res ſunt in rerum natura, quæ negandæ forent, ſi omnia neganda, quorum uſum Flacius ignorat? quot plantæ? quot animalia? ſed non eſt opus hâc reſponſione, multò minus ſolicitâ, quam nonnulli inſtituunt, uſus inquiſitione. Diximus aquas illas nihil eſſe aliud, quàm partem ipſam ſuperiorem Cœli. Hæc quem uſum habeat, qui quærit, is eâdem operâ quærat, quem uſum tectum aut contignatio ſuperior in domo habeat.

XXIX.

Undecimum argumentum: *Quia* inquit, *quid faceret Elementa-*

quærit, is quærat prius, an materia illius aquæ Elementari prorſus ſimilis ſit. Cum non neceſſe eſſe, ut ſimilem aut prorſus eandem ſtatuamus, ex ſupra dictis facilè colligatur: ſeparata enim eſt ab aliis aquis primi diei, hoc eſt, à mole, cœlum & terram cum omnibus ſuis partibus ſaltem eminenter continente quam non ineptè, ſine dubio ex traditione Patrum, Chaos dixerunt Poëtæ veteres. Cum enim Moſes initio ſtatim dixit: In principio creavit DEUS Cœlum & terram, ibi per cœlum & terram, illam ipſam molem intellexiſſe, docent Sapientes, quando partes illius ſigillatim deſcribuntur, cœlum, hoc ipſo verſu 6. terra, verſu 9. & deinde ſingulorum exornatio. Unde ſi quæras, cujus naturæ vel materiæ ſint aquæ illæ cœleſtes, reſpondeam talis, qualis illi parti mundi conveniat. Si jam Creatori commodum viſum, eandem eſſe, dico eandem; ſi diverſam, (quod eo ipſo colligitur, quod locum ſuperiorem, ab aliis aquis diſtinctum, illis tribuit,) diverſam.

X X X.

Duodecimum argumentum ita habet. *Quia*, inquit, *qui tuentur ſententiam de aquis ſupra ac extra Cœlos, fatentur, hanc ſententiam, de aquis in media regione aëris, eſſe multò probabiliorem, & rerum Naturæ concinniorem, quam alteram de aquis ſupra & extra omnes Cœlos. Sed queruntur ſe ſolummodo voce Firmamenti in aliam ſententiam rapi: cujus ſignificationem revera, ut ſupra oſtendimus, non intelligunt.* Reſpondeo, qui noſtram ſententiam amplectatur, & tamẽ illam de nubibus probabiliorem putet, fateor, mihi eſſe ignotum. Niſi forte ſit B. Lutherus, quem tamen ſi hiſce verbis tangit, multis modis injuria afficit. Verba Lutheri ita habent *Commentario in Geneſin pag. mihi VIII. ſed hoc*, inquit, *maximè mirabile eſt, quod Moſes manifeſtè tres partes facit, & firmamentum collocat medium inter aquas. Ego quidem libenter imaginarer* (imaginari ſe, dicit, non argumentari, aut ita ſentire.) *Firmamentum eſſe ſupremum Corpus omnium, & aquas, non ſupra, ſed ſub cælis, pendentes eſſe nubes, quas cernimus, ut ſic aquæ, ab aquis diſtinctæ, intelligerentur nubes, diviſæ à noſtris aquis in terra. Sed Moſes manifeſtis verbis, aquas ſupra & infra firmamentum eſſe, dicit* (Vides hîc Lutherum in ſua opinione, quam fundamento textus carere ipſe dicit, corrigendâ, non niti voce Firmamenti, nedum ſolâ, ſed contextu, qui dicat aquas, quas hîc author nubes dicit, eſſe ſupra firmamentum, ſeu ſupra expanſum, quod certè, ut de nubibus

Moſes nunquam affirmavit, ita nec Lutherus affirmat; quemadmodum & alterum crimen, quod author illius expoſitionis vocem hanc non intelligat, in Luthero noſtro non hæret. Nam ad verba Moſis: *dixitque DEVS, fiat Firmamentum*, ita ait: *Hæc admirabilis iſtius craſſæ nebulæ extenſio Firmamentum à Moſe appellatur,* (num ita denſum & durum στερεὸν, ut penetrari non poſſit? non ſanè) *ſed in quo Sol & Luna ductum habet circa terram in illa ſubtiliſſima materia.* Hæc Lutherus.

XXXI.

Decimum tertium argumentum: *Quia Moſes in Creatione propriè tantùm tria nominat: Cœlum, terram & aquam. Neceſſe igitur, eum aërem & ignem ſub cœli nomine notare, atque ita rectè ſuper hoc primum aërum Cœlum aquas collocat* (ſi Moſes ita collocaret, non rectè collocaret, quis enim unquam dixit vel obſervavit, aquas, hoc eſt, nubes, ut hic author putat, ſupra regionem ignis eſſe?) *loquitur enim ille communi more ac opinione hominum ſui temporis, non, ut Aſtronomus, ſubtilius atque ocioſius elementa & orbes æthereos recenſens.* Σοφὸν φάρμακον, quo ſalvo, nulla unquam tàm abſurda erit opinio, quæ non, invitâ etiam Scripturâ Sacrâ & contrarium dicente, nihilominus illius authoritate ſtabiliri poſſit. Ne enim dicam, quantum λῆμμα hoc ſit: Scripturam Sacram ad communem ſermonem falſa potius dicentium, quam ad veritatem ſeſe demittere, & quidem in loco, ubi rem deſcribere Spiritus Sanctus propoſuerit. Si enim nihil vellet ſcribere, niſi quod homines ante ſentiunt, quid prodeſſet ſcribere? Hoc tantùm quæro, unde ſcias, homines communiter tunc ita ſenſiſſe, ut tu tibi in cerebro tuo, nec à veteribus, nec hodiernis Phyſicis rectè informato, ſomnias. Moſes ſanè trium fecit mentionem, Cæli, terræ aquis inferioribus adhuc permixtæ, & aquæ terrâ ſuperioris. Eaque ita diſtribuit, ut aquas, quarum extra terram mentionem facit, per cœlum, cujus pars ſunt nubes, ſeparatas eſſe dicat, & non tantùm dicat, ſed inculcet, aquas inferiores terræ conjunctas & nubibus ex parte repletas, neceſſariò per aquas, multis paraſangis nubibus ſuperiores, eſſe ſeparatas.

XXXII.

Decimi quarti argumenti loco author varias *derivationes vocis,* שמים *quæ vel idem ſit, quod ibi aquæ*, vel *ubi aqua, adducit*, quibus non

Arabica *Samava* altus fuit, derivat, quam Dn. Joh. Henricus Hottingerus, Theologus Heidelbergenſis, in promptuario ſeu Bibliotheca Orientali citat. Quæcunque autem harum interpretationum acceptetur, nihil vel pro ſua, vel contra noſtram ſententiam author efficiet, ſive enim dicas, ſub cælo eſſe aquas in infima regione aëris, nimirum nubes, ſive ſupra eam, ſive in excelſis, nulla aquarum mentione facta; nihil officies verbis Moſis dicentis; DEUM globoſam, ut videtur, moſem aquarum primi & ſecundi diei extendiſſe, ut inde totam mundi machinam, ſuprema & infima parte conſtantem, extrueret, quod ipſum Moſem ita docuiſſe & docere voluiſſe, initio ſtatim hujus tractatiunculæ demonſtravimus, nihil hujus authoris ſententiæ roboris adjicies, aut noſtræ demes, quod erat oſtendendum.

XXXIII.

Cum hæc pene abſolviſſem, oſtendit mihi quidam meorum Dominorum collegarum, cujus honoris causâ mentionem facio, *Tractatum Dn. Kippingi, de S. Scriptura & creatione*, qui, *Exercitatione de aquis ſupra cæleſtibus inter alia*, de hac materia hæc habet verba: *Gravior multò lis eſt*, inquit, *de aquis ſupra expanſum, ſint ne eædem ipſæ, de quibus Pſaltes ait: Deus contignat aquis ſuperiora ſua, Pſal. 104. v. 3. Ergo veros aquarum gurgites, inferioribus aquis ſimiles, ſupra Cælum ſidereum locatas affirmat. Juſtinus, Baſilius, &c. & alii multi*, quos citat, veteres & recentiores, qui apud ipſum videri poſſunt. Et addit: *Quibus adde Chaldæum interpretem, Joſeph. l. 1. Antiquit. c. 1. Philonem & Rabbinos, à quibus Doctrina illa primum manavit.* Et poſtea refutat Sententiam rationibus optimis, partim propriis, partim aliis graviſſimorum authorum. Et hanc ſententiam, & talem aquarum illarum ſupra cæleſtium probationem, mihi etiam non probari, ex ſupra à me dictis conſtare, arbitror.

XXXIV.

Quod verò idem cum aliis authoribus inde colligit, neceſſariò ſequi probationem ſententiæ eorum, qui nihil aliud, quam nubes aquas illas eſſe, ſtatuunt, hoc mihi probari non poſſe, itidem liquet ex hactenus dictis. Nec terret me copia authorum, quos iterum allegat. Unicus Moſes eſt mihi inſtar omnium, quem ſi attente ſatis inſpexiſſent utriusque partis authores, in neutrum horum errorem incidiſſent.

XXXV.

Sed audiemus, quid ad argumenta adverſa reſpondeat, quod facit paragrapho V.

Excipiunt, inquit, *aquæ illæ ſuper cœleſtes ſunt ſuper cælos ſidereos. Nubes verò ſunt in aëre. Ergo nubes non ſunt aquæ illæ. Cornelius à Lapide comment. ad cap. 1. Geneſ. p. 42. Jac. Martini, diſputatione de operibus creationis Theſi 73. & ſeqq.* (a)

Annotatioens noſtræ.

(a) Rectè, quid enim clarius verbis Moſis, v. 6. *Fiat*, inquit, *Firmamentum, vel potius expanſum, & dividat aquas ab aquis.* Firmamentum hoc ſeu expanſum, *cœlum* eſſe, dicit poſtea v. 8. in quo ſunt Sol & Luna v. 17. per hoc, dicit Moſes, ſeparatas eſſe aquas ſuperiores ab inferioribus v. 7. &c. Interſtitium ergò inter aquas & aquas eſt cælum, quod de aquis nubium ineptè, & diſertè contra Moſis textum dicitur. Sed audiemus, quid author contra dicat.

Reſpondeo, inquit, *Maior negatur: Hoc dicit Moſes, aquas illas eſſe ſuper Expanſum. Hoc eſt ſuper PARTEM expanſi* (b)

(b) Quæſo quam partem? dimidio aut ad ſummum ſeſquimilliari abeſſe nubes à terra, Chriſtianus Severini, Longomontanus & Kepplerus in Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ demonſtrant. Hæc quota pars eſt intervalli, quo Luna, infimum cœli ſidus, in Rakia, ut Moſes ait, poſitum, à terra abeit? videlicet 60. aut at minimum 50. ſemidiametris terræ (quarum quælibet 860. milliaribus conſtat) hoc eſt milliaribus 43000. Et craſſam hanc Synecdochen! ubi pars quadragies ter milleſima pro toto ponatur (ſi tamen 43000. & non plus 12040000. milliarium, quæ, juxta Tychonem, ſphæræ Saturni eſt, ductis 3860. in 14000. integra altitudo aquarum cœleſtium Moſaicarum ſunt,) profectò plus mille major ἀκυρολογία eſſet in hac ſynecdoche, quàm ſi veſtibulum pro tota domo, caſam paſtoralem pro toto orbe terrarum poneres.

Nam (pergit) *expanſum eſt totum illud, quod ſupra nos eſt.* (c)

(c) Rectè Itaque ſubſumo: Expanſum eſt id, quod ſuperant aquæ cœleſtes. Ergò totum illud, quod ſupra nos eſt, & non quantulacunque tantùm particula, quam nubes quoque mole ſuperant, eſt illud, quod ſuperant aquæ cœleſtes.

XXXVI.

Pars expanſi eſt aër, in qua nubes hærent. Cum ergò Moſes dicit; ſit expanſum! collectivo ſenſu loquitur; distributivo autem, cum dicit; diviſit aquas, quæ erant ſub expanſo, ab aquis, quæ erant ſupra expanſum. (d)

(d) Expanſum eſt res ſingularis, ſpacium videlicet id, quod eſt inter terram & aquas ſupra expanſum, ut Moſes dicit. v. 6. & ſeqq. ut docet inter alia ה Emphaticum. v. 7. quomodo ergo in eo locum habet diſtributio & collectio, ſenſus collectivus & diſtributivus?

Breviter: Quicquid eſt ſuper expanſi partem, id ſupra expanſum eſſe, rectè dicitur. Quia Moſi expanſum eſt pars & totum (e)

(e) Conſcientiā tuam obteſtor, quisquis textum Moſis legis, ut oſtendas mihi unicum apicem, qui poſſit fundamentum præbere huic diſtinctioni.

Atqui nubes ſunt ſupra partem infimam expanſi, hærent quippe in media regione aëris. Ergo nubes ſupra expanſum eſſe rectè dicitur. (f)

(f) Egregii argumenti exemplum! ad cujus ideam ita argumenter: Quicquid eſt ſuper Imperii Romani partem, id ſuper imperium Romanum eſſe, rectè dicitur. Quilibet dynaſta aut nobilis ſaltem eſt ſuper Imperii Romani partem. E. Quilibet dynaſta ſuper imperium Romanum eſſe, rectè dicitur. Falſum præterea eſſe, quod nubes ſint in Medio aëris, etiam vetus & obſoleta Phyſica agnoſcit, nedum hodierna multo accuratior.

XXXVII.

Sed aliud argumentum, quod refutet, adducit Kippingus. *Nubes*, inquit ex Bonfreno & Cornelio de Lapide, *ſecundo Creationis die nondum erant, ut per expanſum poſſent ab aquis inferioribus ſeparari.* (g)

(g) Rectè: Nubes enim, cum non in ipſa creatione, ſed finitâ demum creatione, cum jam ceſſaſſet Deus ab omni opere creationis. Gen. 2. v. 1. 2. 3. non creatæ, ſed purè Phyſicâ mutatione à vaporibus genitæ ſint, Gen. 2. v. 6. quomodo poterant ab aquis inferioribus ſeparari antequàm eſſent? Sed audiemus, quid reſpondeat.

XXXVIII.

Reſpondeo, inquit: *licet tunc expanſum non ſuperaverint actu, quid tum? Ad hoc tamen ordinatum eſt, à*

(h) Fruſtra hoc dicitur. Non enim

rebus, tunc non exiſtentibus, aut ſaltem intra dies creationis futuris. Non entis nullæ ſunt affectiones, ſi nubes tum, ſecundo die creationis, actu non erant, ſed ſeptimo demum die pòſt ex aquis inferioribus per modum vaporis aſcenſuræ erant, quomodo poterant ſecundo illo die ſeparari, & expanſum inter illas ſuperiores & inferiores aquas pro interſtitio poni? Sed tertium argumentum refutandum ſibi ſumit author.

X X X I X.

Aquæ illæ, (inquit ex Jacobo Martini) *ſuper cælos poſitæ, veræ aquæ ſunt, ſemper manentes inferioribus ſimiles (i)*

(i) Hoc ego nec affirmaverim, nec negaverim obſtinatius, ſed in medio relinquo, cum aquæ illæ, à creatore exaltatæ, ſint deſumtæ ex aquis primi diei, quæ congeries quædam erant cœli & terræ, & rerum in iis (potentiâ ſaltem) contentarum, ut author libri de Mundo loquitur; Ordo autem & perfectio, propter quam Syſtematis nomine inſigniri poſsēt, adhuc deerat. Ut ita de eſſentia ejus definitè pronunciari nihil poſſit. Quòd autem Jacobus Martini negat, Kippingus verò affirmat, nubes eſſe aquas, vix hîc etiam judicium interponere, neutrum certè ſimpliciter affirmare audeo. Vaporem diſertè vocat Moſes capite citato. Vapor autem, ut diſcimus ex phyſicis, eſt exhalatio humida, quæ nec aqua, nec aër, nudè dici poſſit. Itaque Moſes dicit, humectaſſe terram, deſcendendo ſcilicet per pluvias, adeoque nequaquam tam ſtudiosè ab inferioribus aquis ſeparat, ut Moſes affirmat c. 1. v. 7. Cum inter deſcenſum illum non aquæ tantum deſcendentes, ſed totus aër humidus ſit. Quod verò Kippingus dicit aquas eſſe ſtipatas, & inde concludendum putat, eſſe aquas, id licet mihi imitari & dicere, eſſe aërem ſtipatum, ergò aërem, qui ante reſolutionem in aquam, niſi per Metonymiam, quæ lateat in dictis à Kippingo citatis, Job. 26. v. 8. Pſ. 18. v. 12. Pſ. 29. v. 3. Pſal. 65. v. 10. Jer. 10. v. 13. aqua dici nondum poſſit.

X L.

Quartum argumentum, quod ſibi ſolvendum ſumit author, eſt ex Meiſnero. *Aquæ illæ dicuntur ſupra cælos cælorum. Pſ. 148. v. 4. Cæli cælorum ſupra ſtellas ſunt, non verò in aëre.* Reſpondet Kippingus; *Maior non eſt in textu ſacro, ubi hoc ſolum dicitur: & aquæ, quæ ſupra cælos*

(k) Dictum pſalmi ita habet, *laudate eum cæli cælorum & aquæ omnes,*

da cœli mentione, vox cœlorum non repetitur, cœlum tamen multo ſublimius intelligi, ſaltem ea mundi parte, quæ nubes continet, contextus ſatis oſtendit. 2. Eſto, regionem nubium eſſe cœlum, quis vero id diceret ſupra cœlos. Imò, quid ſi ego cœlum illud cœlorum dicam eſſe ipſas aquas cœleſtes, ut dicto; Laudate illum cœli cœlorum, per ἐξήγησιν addatur, quid ſint illi cœli cœlorum? aquæ, inquit pſalmus, quæ ſupra cœlos ſunt. Confer ſupra Theſin. 4. cum ſequentibus.

X L I.

Pergit: *porrò etiam hodie cœli cœlorum, id eſt, cœlum ſtellatum* (*l*) *diſtinguitur à cœlis vulgò dictis, ſive regionibus aëris, ubi ſunt aquæ in nubibus pendulæ.*

(*l*) Cœlum cœlorum non eſt cœlum ſtellatum, quod idem eſſe cum Rakia Moſes v. 8. dicit, ſed aliquid eô ſuperius, id ſcilicet ipſum, quod ab aquis primævis deſumtum & ſurſum levatum per expanſionem ſpacii intermedii ab aquis inferioribus ſegregatum eſt, cœli verò, vulgò ſeu communiter dicti, ſunt ea ipſa pars mundi, in qua non tantùm nubes pendent, ſed & in qua ſidera moventur. Gen. 1. v. 8. & 14.

X L I I.

Quintum argumentum, quod author ſibi contrarium dicit, ita habet. *In Cantico trium puerorum diſtinctâ compellatione exprimuntur aquæ ſupra cœlos poſitæ, & monentur, ut Dominum laudent. Non igitur aquæ ſupra cœlos poſitæ ſunt nubes, vel aquæ pluviæ. Meiſnerus & Jac. Martin. d. l.* Reſpondet Kippingus: *Canticum illud compoſitum eſt ab aliquo Hebræo poſterioris ævi. adeòque teſtimonium ejus non habet majorem certitudinem, quàm vel Philonis vel Joſephi.* (*m*)

(*m*) Non deberi parem authoritatem his libris cum libris Canonicis, dudum novimus. Quia tamen loquũtur de re, in libris Canonicis diu ante ſcriptâ, & à Judæis identidem in ſcholis ſuis repetitâ: nec cauſa apparet, cur hîc à veteri ſententia receſſerint, oſtendunt ſaltem, quid populus DEI, tunc & ante de hac re ſenſerit. Aliud eſt de Joſephis & Philonis libris, quando ſcribunt de rebus antea non auditis, & pleriſque profanis.

X L I I I.

Pergit: *& poſſunt diſtinctis vicibus nominari aquæ ſuper expanſum,*

nec non aquæ pluviæ. Imber cum eſt iam, in mundo inferiori efficitur, in ſuperiori exiſtit. (n)

(n) Hæc quid huc faciant, non video, niſi quod inde videatur colligi, aquas, quas autor vocat ſuperiores, ab inferioribus non eſſe verè ſeparatas, quod tamen Moſes de ſuis non dicit tantùm, ſed repetit & inculcat.

XLIV.

Sextum argumentum partis authori adverſæ: *DEUS extendit cœlos ſicut pellem, & contegit aquis ſuperiora eius Pſal. 104. v. 3. Ergò ſunt aquæ ſupra cœlum ſtellatum poſitæ. Geſnerus comment. h.l. Johann. Bocchius notis ad paraphraſin pſalmorum p. 498. Reſpondeo*, inquit author, *ſuperiora cœli vocat regionem aëris* (n) *& aquæ contegentes hanc expanſi partem ſunt pluviæ & nubes, quod rectè notant Tremellius, Vetablus, Copperus & Vinarienſes Scholiaſtæ, Probatur itidem ex v. 13. DEUS irrigat montes de ſuperioribus ſuis.* (o)

(n) Regionem aëris eam, quæ tecta ſit nubibus, hoc eſt, ut ſupra dictum, plus millies milleſimam partem altitudinis cœli à terra, *ſuperiora* cœli vocari nunquam mihi probabitur.

(o) Sive v. 13. ſuperiora montium intelligantur ſuperiores partes ipſorum montium, à quibus madefactis àqua defluat in valles, ut ego jam diu, antequam hæc legerem, intellexi; ſive per ſuperiora intelligantur nubes: nihil tamen video, quod obſtet noſtræ ſententiæ. Non enim nego, nubes ſuperiores eſſe plerisque montibus, aut certè non multo humiliores, quibus autem altitudine ſanè pares ſunt, nos duplici modo rigant, deſtillando & humido complexu ambiendo, ut non ſit opus ad hanc rigationem aquis ſuper cœleſtibus.

XLV.

Retinemus ergo ſententiam hanc, aquam molis aqueæ primi diei, ſupremâ ſui parte cœlum ſupremum, inferiori aquam terræ mixtam conſtituere. Mediante inter hæc duo ſubſtantiâ tenui, itidemque ex aquis primi diei deſumtâ, ut ſideribus locum & viam præbeat. Et hoc factum die creationis ſecundò. Creatione verò totâ finitâ, aſcendiſſe ex terra humida vaporem, Gen. 2. v. 6. qui materiam præbuerit nubibus in infima aëris regione, quas adeò pro cœlo, exprimis aquis facto, ſalutandas non eſſe, ſufficienter probatum, & contra argumenta adverſa ſatis ſuperque munitum exiſtimamus.

EXAMINIS
THEOLOGICO-PHILOSOPHICI
HYPERSOPHIÆ ANTIBIBLICÆ
PARS II.
De Univerſalitate aquarum Diluvii.
THES. I.

VT nulla major Cæcitas eſſe poteſt, quàm eorum, qui non modo omnia ſe videre, ſed plus aliis videre, & plus videre in tenebris ſine lucerna, quàm alii lucernâ duce videri volunt; ita nunquam non potui mirari, imò ferè cum ſtupore intueri audaciam eorum, quibus, cum Spiritus Sanctus Cœcitatem ſuam, in quam ex lapſu Adami inciderunt, paſſim exprobret, ipſi tamen adeò ſunt dementes, ut ultra Scripturam & Spiritus Sancti ſapientiam ſapere, & in mediis tenebris clariſſimis Scripturæ dictis atque hiſtoriis contradicere audeant.

II.

Ducem ſe hujus militiæ præbet Iſaacus Voſſius, qui cum audiat & legat, Moſem affirmare; In celebri illo Noahi diluvio totum orbem terrarum aquis obrutum eſſe, particularem opponere, hoc eſt, Spiritui Sancto in os contradicere (nulla enim fortior contradictio eſt, quàm particularis negantis contra univerſalem affirmantem) audeat.

III.

Nobis hîc quoque erit *Lucerna pedibus noſtris Verbum Domini*, quod quatenus de hac materia ſonat, conſiderare non gravabitur. Sic ergò Moſes Gen. 7. v. 11. *Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, rupti ſunt* (נִבְקְעוּ diſciſſi quaſi ſunt) *omnes fontes abyſſi magnæ, & feneſtræ* (וַאֲרֻבֹּת) *Cœli apertæ ſunt*. Hoc eſt, ſi terminis Philoſophorum hæc enunciare libebit, omnes cauſæ infra & ſupra terram, terreſtres & Cœleſtes, à quibus aquæ provenire poſſunt, concurrerunt, ad faciendas aquas tantas,

I V.

De Feneſtris Cœli non eſt, quod transfugas agamus in caſtra eorum, quibus capite antecedente noſtra oppoſuimus, quaſi ſcilicet aquæ, elementaribus aquis prorſus ſimiles, à locis cœli ſupremis demiſſæ & effuſæ, & propterea feneſtræ illius apertæ ſint. Fatemur enim per Cœlos hîc intelligi eam partem, quæ aquis pluvialibus materiam præbet, adeoque regionem mundi elementarem, quæ in parte inferiori nubes pluviales habet, reliquâ altiori ſaltem uſq; ad lunam totâ aëreâ, adeoque in aquas, ſi opus ſit, mutabili, quo etiam, ut habetur Gen. 2. v. 8. aſcendentes vapores in nubes coagulatæ ſint, quæ poſtea in aquas pluvias liquefactæ rurſum deſcenderint. Hæc itaque ſatis clara.

V.

Verſu poſtea 17. ita pergit Moſes, *factumque eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram, & multiplicatæ ſunt aquæ, & elevarunt arcam in ſublime à terra. 18. Vehementer enim imundaverunt, & omnia repleverunt in ſuperficie terræ: porrò arca ferebatur ſuper aquas. 19. Et aquæ prævaluerant nimis, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo Cœlo. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerant. 21. Conſumtaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram. 22. Univerſi homines & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt. 23. Et delevit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine usque ad pecus, tàm reptile quàm volucre Cœli, & deleta ſunt de terra. 24. Obtinuerùntque* (מָבְרוּ invaluerunt) *aquæ ſuper terram, centum quinquaginta diebus.*

V I.

Verſu poſtea 3. capitis octavi *aquas* dicebat *cæpiſſe minui poſt 150. dies, ità ut adhuc cacumina montis attingeret die menſis ſeptimi (* poſt initium diluvii *) viceſimo ſeptimo, hoc enim die requieſcere cæpiſſe arcam ſuper montibus Ararat*, hoc eſt, ut explicat verſio vulgata, Armeniæ.

V I I.

V. 7. cap. 8. *Corvum* ait *emiſſum eſſe à Noë, qui non ſit reverſus*, non quod terra jam arefacta eſſet, ſed fortè, quod natantibus in ſuperficie aquæ cadaveribus inſediſſet, quibus *columba poſt eum emiſſa* inſidere no-

ſceptà ſit, aquis quippe, ut habet textus, *terram adhuc tegentibus. Expectatis ergò aliis ſeptem diebus emiſit aliam, quæ veſperi reverſa, Olivæ ramo allato, nuncium & ſignum terræ areſcere cœptæ attulerit.* Tandem *ſexcenteſimo primo anno, primo menſe & primo ejus die, Noahum aperto arcæ tecto terram exiccatam vidiſſe, & tandem menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo die, totam arefactam, & Noahum juſſu DEI egreſſum eſſe.* Quæſo pie lector! intuere hæc verba, & per conſcientiam tuam obteſtanti reſponde, num aliquid particularitatis videre te putes potuiſſe, ſi à Voſſio admonitus non fuiſſes. Sed audiemus Ariſtarchum noſtrum Iſaacum Voſſium.

VIII.

Sic ergò ille: *Minimè,* inquit, *probo eorum ſententiam, qui, totum terræ globum ita aquis tectum fuiſſe, exiſtimant, ut nulla prorſus ejus extaret portio.* Ratio ejus prima eſt; *quia ad hoc efficiendum multa debuiſſent concurrere miracula.*

IX.

Argumentum ſcilicet ab abſurdo eſt: factum non eſſe, quantumvis factum narrent S. Literæ; quid ita? quia *miraculis* opus fuiſſet. Quid? adeoné abſurdum eſt, miracula accedere ad opus illud, quod novum, nec ante factum, nec poſt futurum, ipſe miraculorum author, DEUS affirmet?

X.

Sed audiemus, quibus miraculis opus fuiſſe dicat, ut perfici id, quod Spiritus Sanctus hic affirmat, potuerit? *Cum enim,* inquit, *Univerſæ Orbis aquæ non ſufficiant ad obruendam tàm altè terram, etiamſi omnia maria ſiccentur, debuiſſent vel plures aquæ creari, vel dicendum cum aliquibus, iſtam aquarum molem ex aliis Cœli orbibus decidiſſe, ac denuò, finito diluvio, ad cœlos ſuos revolâſſe, verùm hoc eſt piè nugari.* Hactenus Voſſius.

XI.

Sciſne verò, Lector, quid maximè mihi placeat in his verbis Voſſii? Quæſo, quid putas? Quid? verba ultima, quibus, quæ dixit ipſe, hæc qui dicat, eum nugari dicit. Primò prodit inſcitiam ſuam in Phyſicis, quod aquarum in mundo ſatis eſſe non potuiſſe putet, niſi actu ſtatim tantum aquæ adfuiſſet. Satis eſt in potentia adfuiſſe. Cum enim

ſimul eduxerunt, quod, in aquam extenuatum, aquæ molem auxit. Ex illa mole aquoſa ſurrexerunt in altum vapores, qui, incremento ſumto, ex aëre in pluvias mutatæ, deſtillarunt, ex quibus aquis deſtillatis iterum vapores aſcenderunt, & iterum aquæ, quæ deſtillarunt, factæ ſunt, & hac viciſſitudine, per quadraginta dies & quadraginta noctes durante, aquæ tandem in tantam molem excreverunt. Hæc quamvis novatoribus noſtris inter Phyſicos nova ſint, veræ tamen & ſolidæ Ariſtotelis Philoſophiæ apprimè ſunt conſentanea. Sed ponamus, hæc omnia non ſu fecisse; ſed plus aquæ divinâ potentiâ addĕdum fuiſſe; quid erit abſurdum? Si potuit Chriſtus panem in deſerto ita multiplicare & augere, ut de quinque panibus ſtomachos quinque mille hominum ita impleret, ut plures ſportæ, in quarum ſingulis omnes illi panes, qui initiò aderant, portari potuiſſent, duodecim, poſteaquam omnes ſatiati eſſent, remanſerint; & aquas, quoad vellet, augere non potuerit?

X I I.

DEVS, inquit, *non facit miracula fruſtra*; fruſtra ais facta, homuncio, quorum finem, in quem facta ſint, tu non poſſis dicere vel oſtendere? Sed audiemus, cur fruſtra fuerit? *Quid opus erat illas mergere terras, ubi nec olim fuere homines, ac ne nunc quidem ſint?* Nihil ſanè attinet hîc reſpondere, quando de operibus DEI loquimur, quem docere, quid facto opus ſit? & cur ſit: qui conatur, tunc ſimilem putare licet cœco, qui pictori oſtendere velit, quæ lineamenta ducere, aut quibus pigmentis uti debeat. Sed tamen reſpondebimus; Putatnè enim Voſſius, etiam in illa parte orbis, quam aquis ultra ſumma montium cacumina obrutam fuiſſe fatetur, ullum fuiſſe angulum ſupra terram, qui aquis non fuerit repletus? putatnè verò viciſſim, nullum angulum vacuum fuiſſe hominibus? ſat ſciò, non putabit. Quid ergò, quæram cum Voſſio, opus erat, illos etiam aquis implere angulos, in quibus nulli erant homines, vel etiam bruta animalia? ſatis eſt per naturam opus fuiſſe, cum exempli gratiâ, totâ domo aquis repletâ, majoris fuiſſet miraculi, angulum ejus aliquem vacuum manſiſſe, quàm cum reliquis repletum.

X I I I.

Addit hîc aliquid Voſſius ad præſentem quæſtionem non magnopere pertinens, quia tamen erroneum eſt, nec hîc ipſum patior in erro-

gnam potuiſſe implere, ita ait: *Quàm tarda & ſegnis tum fuerit humana natura in producendis hominibus, ex eo nobis conſtat, quod Noahus nonus demum fuerit ab Adamo,* &c. Quid tum poſtea? nonne cogitat Voſſius, moram hanc poſtea egregiè compenſatam ab iis, qui ſemel cœpiſſent gignere, cum ſingulis genitis addat Scriptura: *Vixiſſe poſt genitum illum annorum centurias adhuc plurimas, & filios filiasque genuiſſe.* Sed addit tandem: *Vt verò Diluvii in undationem ultra orbis habitati terminos producamus, nulla iubet ratio.* Ut ego & tu producamus, nulla ratio jubet, quid ſi verò ſponte eò defluant? ſegnes ne putas aquas ſtetiſſe eo in loco, in quem deciderant? (poſitô, ex una tantùm plaga dediciſſe, quod nondum probatum eſt) naturam aquæ demes, ſi fluxum demes. Et qui nam erant homines, quindecim cubitis ultra montes habitantes, ſi nullum in locum pertigerunt aquæ, ubi non inveniebant homines, quos mergerent? Voluit ſcil. DEUS oſtendere magnitudinem iræ ſuæ, tantis peccatis hominum per tot ſecula irritatæ, ut ibi etiam extarent ejus veſtigia, ubi nullum peccatum locum adhuc inveniſſet. Et quemadmodum magiſtratus ſupplicio affecturus latronem, non tantùm carnificē & lictorem unum & alterum ei immittit, qui ejus neci ſufficere poſſet, ſed aliquot legiones uſurpat, quæ illum comitentur ad ſupplicium, proceſſum inſuper ſpecioſum inſtituit: cui fini? huic ne tantum, ut ſupplicio ſubjiciat hominem? non ſanè, ſed ut majeſtatem ſuo officio & terrorem ſimul addat etiam reliquis. Ita DEUS in diluvio, ſupplicio afficere volens mundum tali, cujus memoria ad omnem poſteritatem extaret, loca etiam tangere voluit ea, in quibus nullus homo extaret, tacta tamen eſſe irâ divinâ, poſteri ſuo tempore audituri eſſent, præſertim cum aquæ naturæ ſuæ inſtinctu ſponte eo defluxuræ eſſent.

XIV.

Imò, inquit, *prorſus abſurdum, dicere, ubi nullæ hominum ſedes, illic etiam viguiſſe effectus pœnæ ſolis hominibus inflictæ.* Quid? ſolis hominibus inflictæ? Cur ergò Moſes dicit, omnem Carnem etiam volucrum, reptilium, in qua Spiritus vivus fuerat, in aquis diluvii expiraſſe? Si ergò mirum non eſt, Creaturam aliquam non humanam, ob hominis peccatum, diluvio obrutam, quid mirum erit, locum aliquem ab homine vacuum aquis tamē nihilominus repletum? Imò planè ita ſentio: Deum quemadmo-

angelo etiam gladio illum cuſtoditum obſederit, hanc etiam ob cauſam in loca, hominibus nondum habitata, defluere aquas paſſum, ut non tantùm paradiſum, ſed fructus nobiles etiam extra paradiſum, quos ab hominibus in abuſum rapi hactenus videret, aquis mineralibus ex abyſſis eructatis corrumperet, ut poſt diluvium minus eſſent ſalubres & homines minus longævos reddire poſſent.

XV.

Sed quid? putatne Voſſius, ſpacium mundi tàm exiguum ab hominibus tunc fuiſſe habitatum? Reſpiciat ſpacium fugæ Caini, qui ab uno latere Paradiſi fugit ad alterum, Gen, 4. v. 5. Unde patet, ſi maximè cœtus fuiſſet exiguus, qui habitandi ſpacio exili contentus eſſe potuerit, intervallum tamen, quo ſaltem impii Caanitæ à reliquis Adami poſteris diſcreti fuerint, tantum fuiſſe, ut tota paradiſi, vel longitudine, vel latitudine,(quæ tanta fuerit, ut flumina, tres mundi partes tranſeuntia, ibi ab invicem diviſa ſint) ab invicem abfuerit. Et quis mihi ſponſor erit, Cainitas pro curioſitate ſua, qua, brevi poſt fugam Caini tempore, fabros & fuſores, aulædos & citharædos habuerunt, etiam ad oppoſitam mundi partem non penetraſſe. Videantur ſaltem figuræ, quibus Bibliorum interpretes Paradiſi ſpacium comprehenderunt, & ſatis magno intervallo homines ab invicem diu ante diluvium habitaſſe, convincemur,

XVI.

Pergit: *Licet itaque credamus, illam tantùm terrenam portionem, quam ſignificavimus, quæque ne centeſimam partem orbis univerſi conſtituet,* (Ergò ſequitur, ne centeſimam quidem partem orbis à paradiſo occupatam, cujus duo latera, initio ſtatim propagationis humanæ, ab hominibus occupata ſunt) *ſolam aquis fuiſſe obrutam; erit nihilominus diluvium univerſale* (reſpectu hominum fortaſſe, qui tunc vixerunt, non tamen reſpectu terrarum, quas occuparunt) *erit œcumenicum; quandoquidem clades fuit univerſalis, & totum orbem habitatum oppreſſit.* Quaſi verò id tantùm agatur, ut vocul æuniverſalis, quæ inſuper in textu non extat, ſatis fiat. Intuere tu totam deſcriptionem ex Moſe ſuperius repetitam, & examina Phantaſiam tuam, & vide, an ullam terræ particulam tibi imaginari poſſis, quæ aquis diluvii tecta non fuerit

omnes homines) *ſub toto cœlo* (nonne verò terra antipodum ſub cœlo?) *ad decem, uſque ulnarum craſsitiem texiſſe.* Magna profectò audacia particularitatem hîc piis lectoribus perſuadere conari.

X V I I.

Ut verò non divinâ tantùm authoritate, quâ indignæ ſunt tàm futiles quisquiliæ, ſed Phyſicis etiam & Mathematicis rationibus cauſam ſuam proſtratam agnoſcat Voſſius, inſpiciat figuram hanc, ubi Peripheria A B C D ſit circulus magnus globi terreni. Portio terræ, tempore diluvii, habitatæ aquis obruenda, E F. Quæro, quæ vis prohibuerit aquam intra dies 150. non fluere, ultra E & F, aut ultra B G, D H? Naturalis, an divina? Si naturalis, oſtendatur ea, mihi enim ignotam fateor. Si divina, non minorem fuiſſe neceſſe eſt, quam eam, quæ aquam Jordanis cohibuit, tempore



tranſitûs Iſraëlitarum in terram ſanctam. Ergò miraculoſa fuit. *Sed DEUS*, inquit Voſſius, *non facit miracula fruſtra:* Fateor : fruſtra nihil facit DEUS, ſed omnia ex certis cauſis; non iis tamen ſemper, quæ nobis notæ ſunt. Si autem cauſam hîc habuit DEUS, cur ederet miraculum, quæritur, an credibile ſit, majorem fuiſſe, *ut cohiberet id, quod ipſe dixerat*, omnes montes ſub toto cœlo aquis diluvii tectos fuiſſe, an, ut fluerte ſineret aquas eò, quo per naturam nullo alio miraculo adactæ fluxiſſen,

ut tandem ſaltem omnes montes, eos etiam, quos initio non texiſſent, tegerent?

XVIII.

Sed fortè, licet non fuerit opus, ut aqua cohiberetur, terræ tamen ſpacium tantæ videtur fuiſſe amplitudinis, ut eo temporis ſpacio, quo aquæ ſupra terras fuerant, ad omnia loca profluere, aquæ non potuerint. Videbimus. Ambitum totius Terræ definiunt Geographi milliaribus 5400. Spacium ab aquis interceptum ponamus quartam partem (minorem enim poni non poſſe, paradiſi ſaltem amplitudo arguit, cujus, ut ſupra dictum, duo extrema multò ante diluvium ab hominibus habitata ſunt) 1350. quæ ſubtracta à 5400. relinquunt 4150. horum medietas ab E vel F usque ad C eſt 2075. quod ſpacium milliarium percurrendum habuerunt aquæ, ſi totam terræ ſuperficiem tegere debuerunt. Jam conſiderabimus ſpacium temporis, quod Moſes dicit interceſſiſſe in ſuperficie terræ ſaltem eousque, donec cuſpides montium prominerent, quod factum eſt menſe decimo, hoc eſt, die trecenteſimo. Per hos dies divide milliaria 2070. provenient pro ſingulis diebus milliaria 6. cum duabus tertiis. Putatne Voſſius, ſi tempus omne reliquum ipſi condonemus, hoc ſpacium aquis non ſuffeciſſe ad abſolvendum & tegendum totum terræ ambitum? ſed ſatis, confido, reſponſum ad ea, quæ habet in Diſſertatione de ætate Mundi. Ne quid tamen artis Voſſianæ diſpereat, *En epiſtolam etiam ejus, quam ſcripſit ad Colvium Theologum Dordracenum*, & quidem, ne minus diligentes videamur in colligendis omnibus micis ejus, integram, adjectis noſtris, ſicubi opus videbitur, annotatiunculis.

XIX.

Sic autem habent verba Voſſii: *Scriptum Soceri tui de Diluvio, animaliumque in ſingulis regionibus ortu & propagatione, haud illibenter legi, Vir Clariſſime. Quamvis communis ferè ſit opinio, clade illâ, qua univerſum olim humanum genus extinxit DEUS non homines tantùm, ſed & feras, & plantas, & omnes terras obrutas ac ſepultas fuiſſe.* (*a*)

(*a*) Non nuda eſt opinio, in cerebro hominum nata, ſed fides, quæ debetur Spiritui Sancto, vel maximè tunc, quando videtur dictare rationi humanæ incredibilia, unicum modò illud caveat, ne ſenſus Scripturæ captum noſtrum fugiat)

Sed quid Voſſio videtur? *Sic tamen, inquit, mihi perſuaſi, ut in aliis ſcripturæ locis interpretandis, ita quoque hîc pluris apud te valere paucorum ſententiam multis firmatam rationibus. (b)*

(*b*) Caveamꝰ verò nobis, ne rationes noſtras, ut nobis perſuademus, firmiſſimas tandem tamen, uti nam non juſto ſerius pro mera ſtultitia habendam fuiſſe depræhendamus, authoritati divinæ, quàm omni ratione majorem eſſe ſcire debemus, opponamus)

Quàm multorum dicta vel ſcripta levibus, vel potius nullis ſubnixa argumentis, præſertim cum manifeſta poßit cauſa reddi, (c) quamobrem hac in re maior numerus à veritate deſciverit.

(Si (*c*) poteſt, ſalva res eſt.)

Nempe ut olim, ſic etiam nunc putant plerique ferè, tum demum de miraculis magnificè ſe ſentire, quando ea maioribus Spaciis (d) circumſcribunt.

(*d*) Majoribus ſpaciis miracula, vel quidvis aliud, quod in Sacris Literis rectè intellectis deſcriptum eſt, deſcribere ſanè non decet. Hoc enim eſſet Spiritum Sanctum, tanquam nimis humiliter locutum, Rhetoricam docere. Multò autem minus decet, in celebrandis Dei operibus, Spiritui Sancto, tanquam ultra veritatem Rhetoricanti, frænum injicere. Pergit Voſſius.

X X.

Ac ſi operum Dei maieſtas intervallis, non ratione potentiæ & perfectionis eſſet metienda, pluſque eſſet Elephantem, quàm formicam creâſſe. Sed verò præterquam, quod abſurdum ſit exiſtimare, minus formæ & proportionis eſſe in pulice, ac ſit invaſtißima belua, etiam de Deo iniquè ſentiunt, qui, quæ rationi ac naturæ adverſantur, illi aßignant. (e)

(*e*) Quid ais homuncio? DEI reſpectu talem voco, non mei, qui meam tenuitatē in divinis libenter agnoſco, idemque te cum ſapientiſſimis facere debere exiſtimo) quid, inquam, ais? iniquè de DEO ſentire; qui ea, quæ rationi (humanæ ſcilicet quæ ſtultitia? in judicandis divinis operibus) adverſantur? oblitus ſcilicet præ nimiâ ſapientiâ es; *ſtultiam DEI ſapientiorem eſſe humanâ ſapientiâ?*

X X I.

Pergit: *DEVS non operatur in creaturis ſuis, niſi ad Legem, quam*

(*f*) Hoc ſcilicet eſt ſapere! quæſo quis prætor ruſticanus, tàm humi-

patiatur & legibus ſe prorſus aſtringat iis, quibus tribules ipſius aſtricti ſint? Quis poteſt hoc dicere, niſi ſimul neget, quod tamen certiſſimum eſt, DEUM eſſe agens liberrimum. Sed ſcilicet in Creaturis ſaltem ſuis nihil præter leges naturæ agit. Ergò vel Maria Virgo, non fuit Creatura, vel ad legem conceptionis aliorum hominum conceptus eſt illius Filius, ſine patre naturali, & quidem DEI filius. Et quæſo ad quam legem Naturæ multiplicati ſunt panes in deſerto? ad quam legem Naturæ natavit ſecuris Eliſæ?

XXII.

Pergit: *Eſtque Natura inſtrumentum DEI, ſi hanc deſtruis, (g) deſtruis Organum DEI.*

(g) Quis deſtruit naturam? is ne qui dicit aquas invaluiſſe, ut tegerent totum orbem terrarum? At hic præter naturam fortaſſe factum aliquid dicit, vel etiam ſupra, non autem contra. Qui autem id, quod præter aut etiam ſupra naturam factum eſt, contra naturam factum dicit, miram condit, non dico Phyſicam, ſed Grammaticam. Quam quia oblivioni tradidiſſe videtur Voſſius, diſtinctionem illam, quamvis apud nos lippis penè & tonſoribus notam, pluribus paulò illuſtrabo. Diverſa & longè diverſiſſima dico hæc quatuor, ſi factum aliquid dicatur *ſecundum, præter, ſupra* & *contra Naturam.* Secundum Naturam agunt omnia naturalia quotidie. *Secundum Naturam* enim fit, ut gallina ova pariat, eaque poſtea foveat & excludat. *Præter naturam*, agunt artifices, agunt interdum etiam angeli, ita tamen, ut hi pro ſingulari ſua ſapientia & dexteritate ulterius etiam extendere poſſint naturæ limites, quàm artifex poſſit. *Supra naturam* agit ſolus DEUS, is enim poteſt, quod cauſæ ſecundæ non poſſunt.

Jam ad aquas diluvii ut redeamus. Si natura aquæ ita tulit, ut per cauſas purè naturales, non tantùm internam diſpoſitionem, ſed etiam cauſam aliquam Cœleſtem, v. g. vehementem aliquam conſtellationem, nec ante nec poſt amplius ita ortam, ita creſceret, *ſecundum naturam* factum eſt; ſi angeli fortaſſe fontes abyſſi ruperunt, qui abſque illis ſi fuiſſet, clauſi manſiſſent, *præter naturam* factum eſt; ſi nec aqua, nec materia aquæ tam copioſa ullibi in natura, nec actu nec potentiâ extitit, adeò, ut nova creando addenda fuerit, *ſupra naturam* factum eſt; nihil autem *contra eam*. Tot animalium verò & hominum deſtructio *con-*

omnium rerum naturalium & naturæ univerſæ, quia aliqua ſaltem individua de omnibus ſpeciebus conſervata ſunt, undè facilè eſt colligere, quàm ineptus ſit hic Spiritus Sancti & Scripturæ Sacræ Ariſtarchus, qui in opere naturæ extraordinario, quod nec ante factum eſt, nec poſtea amplius fieri debuit, omnipotentiam DEI tam arctis limitibus conatur includere, quaſi nihil, non modo contra, ſed præter, aut etiam ſupra naturam, agere poſſit. *Super abundanter*, quippe *agere poteſt DEVS*, ut ait Paulus, *ſuper omnia, quæ cogitamus.*

XXIII.

Pergit Voſſius, *Contra naturam itaq; nihil fit, nec factum eſt unquam. (h)*

(h) Duo ſunt, quæ in paucis hiſce verbis medelam ex modo dictis deſiderant, diſtinguendum ſcilicet 1. inter naturam particularem eorum ſcilicet, quæ in diluvio perierunt, & univerſalem, ſi omnia naturalia periiſſent. Referunt nonnulli, omne cinamomum à Barbaris eradicatum, ut nullum amplius in mundo ſit; noſtrum enim cinnamomum caſſiam tantùm eſſe. Hoc ſi verum eſt, Barbari illi univerſam naturam deſtruxerunt, non quidem abſolutè, ſed tamen Cynnamomi. 2. Diſtinguendum, ut dictum, inter id, quod eſt præter, aut etiam ſupra naturam, & id, quod contra. Si aqua diluvii totam terram cum omnibus montibus texit, præter naturam fecit; talem enim DEUS naturam non creavit, ut aquæ totem orbem terrarum ſuperarent. Nec tamen, qui hoc affirmat, aliquid naturæ contrarium affirmat.

XXIV.

Pergit: *Sed quia propter bona vel mala hominum opera, DEVS ſæpius intendit vel inhibuit curſum Naturæ ordinarium, (i) ſimplex mortalitas contra naturam facta eſſe exiſtimat ea, quæ præter ſtatum & conſuetum naturæ ordinem contigêre. (k)*

(i) Hoc ſi factum eſt modô eô, quem etiam angeli præſtare poſſent, præter, ſi quem non poſſent præſtare, ſupra naturam eſt.

(k) Quæ eſt ſimplex illa mortalitas, quam Voſſiana? quæ, quando nos ex Scriprura Sacra affirmamus, aquam diluvii totam terrarum orbem obruiſſe, contra naturam, & propterea impoſſibile clamat.

XXV.

nimè mirandum, complures literarum potius corticem, quàm penitiorem ſenſum ſectantes, dum imprudenti Cœlo potentiam DEI extollunt, (l) illum naturam revera pervertiſſe, ac tale introduxiſſe diluvium, quod neque naturæ legibus, nec rationi conveniat divinæ. (m)

auſus eſt, aquas Diluvii omnes montes ſub cœlo obruiſſe, quod tamen falſum eſt in cerebro Voſſii.

(m) Quid opus erat Naturæ Legibus convenire factum præter & ſupra Naturam, quale erat diluvium univerſale. Et quæ eſt illa ratio, quam Divinam hîc vocat Voſſius, nulla certè, quàm Voſſiana.

XXVI.

Cum enim (pergit porrò Voſſius) *certis & Geometricis argumentis oſtendi poſſit, etiam ſi omnes aquæ in aëre aut æthere ſuſpenſæ deſcendant, non tamen propterea vel uno ſeſquipede altiorem futuram aquæ ſuperficiem, ad obruendum altiſſimorum montium vertices, alterutrum contigiſſe neceſſe eſt, aut DEUM novas aquas creâſſe, quod non facilè (n) admittant Theologi, aut maria, fluminaque ita intumuiſſe, ut ad quatuor paſſuum millia ſe in altum extulerint. (o)*

(n) Non facilè fortaſſe, tunc tamen, ſi ex Moſe audiverint, tantam altitudinem aquarum fuiſſe, quæ montes obruerint, & certis argumentis edocti fuerint, per Naturam, & ex cauſis naturalibus tantum aquæ produci non potuiſſe, quod nondum demonſtratum.

(o) Datur tertium, reliquorum ſcilicet elementorum terræ & aëris in aquam mutatio.

XXVII.

Pergit Voſſius: *Sed profectò, ſi tantùm aquæ rarefactionem (p) admittamus, ut moles eius quindecies ſolito fuerit major, quod neceſſariò ſtatuendum, jam non aqua, ſed nebula, vel aër, vel quidvis potius fuerit dicenda, omninoque in tali diluvio nec homines, nec cætera terreſtria animalia mori potuiſſent, nec vivere piſces.*

(p) Perſtat, ut video, Voſſius in falſa ſua Hypotheſi, non potuiſſe aquam in tantam molem excreſcere, niſi rarefactione, non nova ex elementorum reliquorum mutatione, & ad aquam acceſſione.

XXVIII.

Præterea verò etiamſi ex leviſſimo

(q) Loquitur quidem hæc Voſſius

ta, non tamen ſuſtentari à tam levi corpore potuiſſet, ſed peſſum penitus iviſſet, & quidem cum fragore. (q) quæro ego ex Voſſio, aut quisquis eum defendit, quid velle putet Moſen, quando dicit, Gen. 7 v.16. Noaho in arcam ingreſſo, *Deum poſt illum arcam clauſiſſe?* Num ita imperitus fuit Noahus, ut januam claudere neſciret? minimè certè. Sed Deus, cum arcam clauſiſſe perhibetur, ita eam cuſtodiiſſe, intelligendus eſt, ut quæ per naturam ſolam ordinariam præſtari in ejus conſervatione non poſſent, ipſe omnipotenti ſuâ dexterâ abundè suppleret. Quicquid ergò tu fingas interea neceſſe fuiſſe, ut contingeret Noaho & reliquis arcæ incolis, ſi tua ſententia non valeat. Reſpondet Moſes, Deum iſta omnia, ſi naturaliter præſtari non potuiſſent, ſupernaturaliter præſtitiſſe. Deinde, quod ad illud attinet, quod dicit Voſſius, arcam natare non potuiſſe; meminiſſe debeat, non omnia in pondere, ſed multum in figura corporis aquæ ſupernatantis ſitum eſſe. Ferrum vix ſcrupuli pondus habens, ſi rotundum ſit, ad fundum tendit aquæ injectum. Si autem in laminam ſatis tenuem extẽdatur, natat. Sed nec hac ſubtilitate opus eſt. Si enim Eliſæus facere potuit virtute Divinâ, ut ferrum nataret: Quî minus Deus efficere potuerit, aut quid mirum ſit effeciſſe, ut arca nataret, præſertim in figuram natationi aptam fabrefacta?

(q) qua non potuiſſet ita augeri, niſi præterea ſupra naturam ſuam extenſa fuerit, ſed quicquid ſit, nunc

XXIX.

Pergit Voſſius: *Verum, quia non deerunt complures eruditi, & probi viri, qui infinitam aquarum copiam è firmamento arceſſunt,* (r) *quarum lapſu, ad tria quatuorve millia paſſuum, univerſam tellurem obrui potuiſſe, contendunt, operæ pretium eſt, & horum errorem patefacere, & ſimul oſtendere, conceſſo etiam eo, quod fieri non potuit, non tamen, vel ad ſex centeſimam altitudinis partem, aquas aſcendere potuiſſe.*

(r) De aquis ſupra firmamentum, vel ex panſum potius, nihil me affirmare pro diluvio, quæſtione antecedenti proteſtatus ſum. Unde verò aqua ſolito major provenire potuerit, ſatis dixi, & repetet quædã mox è noſtra ſententia ipſe Voſſius. Si autem hîc ipſum rectè intelligo, nata eſt hæc ipſius opinio ex priori. Quaſi aquæ diluvii uno in loco, qui vix centeſimam orbis partem conſtitueret, perſtitiſſet v. g, ſi ſupra in figura ad Theſin. 17. aqua inter limites E. F. perſtans, non ulterius ab E. verſus

cti I. aſcendiſſet. Verum (poſito, quod tantùm intra ſpacium E. F. aquæ de Cœlo deſcenderint,) quia aquæ hoc loco deſcendentes paulatim aliò defluxerunt; fateor, me non videre, quomodo, continuè deſcendentibus pluviis, aquæ non in tantam tandem, quantam DEUS voluit, molem paulatim aſcenderent.

X X X.

Pergit Voſſius: *Sumamus itaque totum illud, quod in Sacris Literis firmamentum vocatur, imò non hoc tantùm, ſed & uiverſum aërem* (ſ) *in aquam permutatum fuiſſe, ponamus, non tamen efficiemus, ut aquæ moles telluris ſuperficie pedibus triginta & uno cum dimidio altior fieret. Hoc exinde probo, quod neque antliis, neque ulla alia vi attractrice effici poſſit, ut aqua altius aſcendat. Aër enim foris premens, aut aquam intra tubum aut antliam adigens, cum aqua tubo comprehenſa æquilibrium facit* (t)

(ſ) Non univerſum ſanè, ſed magnam ejus, ut & terræ partem.

(t) Etſi non ignoro, quid ſit antlia, vel tubus, vel Cylindrus, non intelligo tamen, quomodo aqua, cœlo libero & paſſum patente, tanquam in tubo vel antlia contenta, ab aëre tanquam Cylindro premi poſſit, niſi figurâ aliquâ phantaſiam meam juviſſet Voſſius. Niſi autem omnia me fallunt, latet ſub hoc phantaſmate Voſſiano falſa Hypotheſis, quod ſcilicet putet, aquam premi nubibus, vel earum regione, ne ultra eam poſſit aſcendere. Ego autem quæro, quid ſit id, quod determinet altitudinem nubibus? Nihil ſcilicet aliud, quàm altitudo vaporum. Quantò hi altius aſcendunt, tantò illæ altiores fiunt. Nubes aquis fœcundæ & pluvioſæ non plus ſeſquimilliari à terra perhibentur aſcendere. Porrò, aquas diluvii altius aſcendiſſe. Putasne, hoc fieri non potuiſſe, niſi nubes illis fuiſſent permixtæ? imò nubes preſſuras fuiſſe aquas, ne usque ad regionem ipſarum, aut ultra poſſent aſcendere? Ego non puto; ſed puto, ipſas quoque altius aſcenſuras fuiſſe, ut eâdem diſtantiâ, quâ antè, à terra abfuiſſent.

X X X I.

Pergit: *Quantum itaque eſt pondus aquæ tubo contentæ, tantum quoque eſt pondus aërei Cylindri, qui foris aquæ incumbit. Si itaque univerſus nobis incumbens aër condenſaretur, ac verteretur in aquam, non totis triginta tribus pedibus altior eſſet futura aquarum ſuperficies.* (u)

XXXII.

(*u*) Si quid habet Voſſius, quod per aquas mihi, vel aliis, qui ejus ſubtilitates fortaſſe non percipimus, exponat, probet, vel oſtendat; typos apponat, ne audiat illud vulgatum, *ſi non vis intelligi, debes negligi.* Sed pergit: *Sanè quomodocunque ſtatuatur immenſa iſta aquarum multiplicatio, nunquam effici poterit, ut non quam plurima conſequantur abſurda. Si quæ, dico, ſexcentis ſupra verticem noſtrum extant paſſibus, jam nullæ prorſus occurrent pluviæ, (vv)*

(*vv*) Vanum eſſe hunc metum, docent ea, quæ ſupra de regione aëris, ſaltem ad lunæ usque Sphæram pertingente, tradidi.

Quomodo igitur diluvii tempore, à tribus quatuorque paſſuum millibus, (x) Imbres decidere potuerunt, ad ambiendum quaquà verſus terrarum orbem? Concedamus pluvias contra naturam Cœlum verſus repluiſſe. (y)

(*x*) Quis dictavit Voſſio has ineptias nomine?

(*y*) Quis poſcit ſibi concedi has nugas? & ubi natæ ſunt, niſi in cerebro ſemi ſomni Voſſii?

XXXIII.

Pergit: *Ad aliud denuò confugiendum eſt miraculum, nempè qui fieri potuerit, ut aquæ iſtæ in glaciem non repentè abierint? Ad ſexcentas ſupra nos paſſus, ne in Zona quidem torrida, ullæ amplius aquæ eſſe poſſunt, quæ non concreſcunt. (z)*

(*z*) Unde Voſſius, vel alii hoc deprehenderunt, aquas ad ſexcentos ſupra nos paſſus eſſe non poſſe, quæ non illicò concreſcant? Undè, inquam? Quia ſcilicet in montibus excelſis intenſiſſimum frigus eſt. Ex qua cauſa? num, quia totus aër ambiens in ſe tantum frigus continere deprehenſus ſit? Hoc fieri non potuit, niſi ab eo, qui intervallo ſatis magno, ab uno monte ad alium transvolârit, non verò ab eo, qui in uno monte perſtitit. Montes eſſe frigidos, ab ea potiſſimum parte, quæ à Sole perpetuò averſa eſt, & hoc, quia exquiſitum ſine dubio eſt, cum ſit in montis majori parte, quæ nullam unquam caloris ſenſerit viciſſitudinem, mirum non eſt, etiam ad apricam partem aliqua ex parte derivatum, ut contrà non multùm perfecerint Solis radii. Non tamen inde ſequitur, aërem mediocriter calidum, in locis etiam à monte remòtioribus, à natura ſuâ diſcedere, & glaciem ibi generare.

XXXIV.

Sed aliud incommodum premit Voſſium. *Non minus*, inquit, *exhibet negocii ipſum arcæ ædificium, ſi verum ſit, quod exiſtimat major pars, (aa) fuiſſe id commune omnium ferarum ſtabulum, nullumque in terris reperiri animalium genus, cujus poſteritas ex hoc ſepto non pullulârit; ſi vel illa ſaltem ſupputemus animalia, quæ in orbe veteribus cognito paſſim occurrunt, locus, qui in Sacris arcæ aſſignatur, tot gregibus, ac tàm diuturno alimento, minimè ſufficiens. Quod ſi etiam novi orbis & Auſtralis Hemiſphærii bruta addere velimus, vix ſolis animalibus, nedum tàm copioſo pabulo ſatis eſſet futurum ſpacium.* Ad numerum animalium quod attinet, incidit hîc mihi proverbium, quo dicitur, Africam ſemper aliquid novi gignere. Novum itentidem animal ex comixtione diverſarum ſpecierum, ad aquas potiſſimum, ad quas non tantùm compellat, ſed etiam diverſiſſimæ ſpeciei animalia ad familiaritatem redigat, vide Ariſt. de gen Animal. l. 2. c. 5. Imò mulos inventum hominis eſſe, ex ipſa Sacra Scriptura novimus. Idem fortè de camelo pardeli habendum, & oſtenſa ante paucos annos hîc Altdorffi eſt belua indomitæ feritatis, adeò, ut catenis vincta tamen excœcanda fuerit, ne quem læderet, porci pariter ac lupi ſpeciem, vocem & indolem egregiè repræſentans, ſine dubio autem non initio tale creatum, ſed itidem ex commixtione duorum illorum animalium ortum. Ut ita credibile ſit tàm immanem ſpecierum numerum, quantus hodiè magnâ ex parte ex commixtione diverſarum ſpecierum invenitur, ex tàm promiſcua commixtione, item imaginatione poſt demum ortum eſſe. Anguſtiæ loci, de qua conqueritur Voſſius, ſi opponas deſcriptionem Biblicam, quâ longitudo arcæ tercentorum, latitudo quinquaginta cubitorum traditur, proveniunt, una in alteram multiplicata, ſpacia quadrata cubitalia centum & quinque millia. Sumitur autem cubiti longitudo præter propter à longitudine cubitorum viri, qui ſine dubio illâ ætate majores fuerunt, quàm hodiè, adeoque & cubiti longiores. De alimentis deni-

(aa) Equidem ita dictante Spiritu Sancto, quo aliquid expreſsè dicente, impium eſt dubitare, num ſit verum? ſed quatuor, niſi fallor, ſunt, quæ Voſſio non permittunt, ut Moſi hîc fidem habeat. 1. magnus ſpecierum animalium numerus, 2. anguſtia loci. 3. diuturnitas temporis pro alimentis, longinquitas itineris, quod animalibus ad arcam tendentibus conficiendum fuit.

que, ſanè crediderim, Noahum, qui præſertim ſine dubio non putârit, per annum integrum ſibi in hoc diverſorio commorandum, vix tantum alimentorum in arcam invexiſſe, quantum tot animalibus in tantum tempus ſuffecturum putaverit. Quò ergò nos vertamus, ut á Voſſio tuti ſimus? Confugiemus ad miracula in Evangelio? Ubi legimus, Chriſtum paucis alimentis magnam hominum multitudinem cibâſſe? ſed, ut ſupra audivimus, non patitur ſe adduci ad miracula Voſſius. Abeat ergò in ſtabula pecudum, ubi diſcat, pecudes, diu in ſtabulo ſtantes, ſæpè ne quartam quidem partem alimenti inſumere ejus, quod initio abſumſerint. An non verò melius eſſet, auditâ voce Domini, quidvis potius credere & admittere, quàm de ipſius veritatis veritate in ſtabulis diſputare?

X X X V.

Pergit Voſſius: *Eſto tamen, ut hoc contigiſſe exiſtimemus, nova tum demum orietur difficultas. Quô nempè pactô animalia, relictô navigio Noahico, & habitato veteribus orbe, in Americam, & in terras, vaſto diremtas Oceanos, penetrârint.* (bb) *Hoc ſi voluntate Divina fieri potuiſſe ſtatuamus, aliud iterum ſe offert abſurdum, illud ſcil. in numera adeò ferarum genera, noſtro orbi & olim & nunc incognita, tam vaſta ſpacia tranâſſe, in priſtinis ſedibus relicto generis ſui ſemine.* (cc)

(*bb*) Eâdem ſcilicet viâ, quâ homines.

(*cc*) Dignæ profectò ſpeculationes, propter quas manifeſta ſcripturæ Litera frivolis contradictionibus prematur. Poteſne dicere, Voſſi! quomodo aut quo Tityro cogente factum ſit, ut tot ſaltem animalia & animalium paria, quod cogeris concedere, ſi hiſtoriam non totam negas, eodem die ad Noahum venerint, & cum illo arcam intrârint? imò poteſne dicere, quâ arte venatoria Simſon tercentum vulpeculas congregaverit, quas binas caudis colligatas Philiſtinorum frumentis immitteret? Non potes, ſat ſcio. Ergo & hæc pro pietate tua mendacii argues? Deo ſcilicet volente, & ſive naturaliter, ſive præter, ſive ſupra naturaliter ducente, dirigente, hæc omnia fieri potuerunt, & ſine dubio facta ſunt, quantuſcunque fuerit animalium numerus, ſi per Voſſii ſapientiam licuit, ſed quid iterum audio?

X X X V I.

efficere, quæ impoſſibilia nobis videntur, ipſamque adeò naturam, ſi velit, poſſe deſtruere. Sed DEUS non vult, nec poteſt velle ea, quæ & rationi divinæ (Voſſianæ voluit dicere) *& Legibus Naturæ, æternum à ſe ſtabilitis, manifeſtè ſunt contraria.* (*dd*)

(*dd*) Ubi hoc didicit Voſſius, quod Leges Naturæ in æternum ſint ſtabilitæ? etiam eo ſenſu, quo Phyſicis æternum dicitur, quod durat tantiſper, dum mundus durat, ut ne Deo quidem liceat aliquando eas tranſilire, & quidem in opere, quod non amplius futurum, omni tamen poſteritati æternæ futurum eſſet memoriæ? Deindè iterum confundit Voſſius ea, quæ ſunt præter aut ſupra Naturam, cum iis, quæ ſunt contra naturam. Si Elephas inſtinctu primi motoris tranavit Oceanum, aut mare pacificum, ut ad Noahum veniret, aut ab illo in patriam rediret, præter, aut, ſi ita vis, ſupra naturam aliquid fecit, aut paſſus eſt, contra naturam autem minimè. Vidiſtine tu vinum, in hydriis aquâ plenis, in locum aquæ ſuccedere? negabis opinor. Ego verò vidi (oculis fidei) in nuptiis Canæ Galilææ: Et tamen non affirmo, contra naturam miraculum illud contigiſſe, quamvis ſupra naturam fuerit.

XXXVII.

Pergit: *Adverſatur rationi divinæ, ut aliquid per plura fiat, quod poteſt fieri per pauciora.* (*ee*)

(*ee*) A quo ut fiat? à Deo? Apage. Mihi & tibi illud dictum eſt, ne, ſemitâ ordinariâ relictâ, Deum tentemus, & quod paucis fieri poteſt, tentemus per ambages. Dei verò operibus ſi dictum illud applicaveris, multoties in ruborem daberis. Huic enim licet ad illuſtrandam potentiam ſuam & alias cauſas, quas nos ſcrutari non decet, pluribus interdum facere, quod paucioribus potuiſſet. Noluit ſcilicet homines eum tantùm in finem perdere, ut perirent, ſed ut ita perirent, ut ipſi & alii ſentirent, quanti fuerit, tantum Dominum ad iram provocare, & omnipotentem ejus dexteram laceſſere? Potuiſſet Pharaonem cogere, ut vix ſemel juſſus populum dimitteret. Potuiſſet populum Iſraëlis, paucorum menſium aut dierum ſpacio, in terram Canaan inducere. Potuiſſet omnes homines, quos per diluvium anni ſpacium durans delevit, unius diei peſtilentiâ perdere. Nihil tamen horum fecit, quicquid ſanè videretur Voſſianæ ſapientiæ Cauſam ubique ferè Deus addidit, & ſi maximè non addidiſſet, noſtrum tamen

non eſſet, propterea negare talia, & reprehendere; tacere decet, & cogitare illud Scaligeri:

Neſcire velle, quæ Magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt,

Contrarium qui facit, is cum Voſſio profitetur ſtultam ſapientiam.

XXXVIII.

Pergit Voſſius: *Naturæ verò*, inquit, *eſt contrarium, ut gravia levibus ſupernatent*, (*ff*)

(*ff*) Et tamen hoc, invito Voſſio, ſecuris fecit Eliſæ, *2. Reg. 6.* & quidem in cauſa, quæ nullo modo cum cauſa diluvii videri poſſit comparanda.

Vt minus corpus comprehendat majus. (*gg*)

(*gg*) Quâ menſurâ hoc metitus eſt Voſſius? quæſo compendium potius fac verborum, & ſi te non terret impietas, Moſen omnia mentitum clarâ voce enuncia.

Vt pluviæ ex altiori loco decidant, quam ubi generantur. (*hh*)

(*hh*) Neque hoc vel vidi, vel audivi fieri. Si aquæ factæ ſunt ſolito altiores, ſolito altius etiam aſcenderunt exhalationes, ſi altius aſcenderunt exhalationes, altius ſteterunt nubes, ſi altius ſteterunt nubes, altiori loco generatæ ſunt pluviæ, ſi altiori loco generatæ ſunt pluviæ, etiam ab altiori loco deciderunt, quàm conſueverunt decidere, ante vel etiam poſt diluvium. Sed audiemus, quid præterea Naturæ contrarium dicat?

XXXIX.

Hoc ſcilicet, *ut animalia, in ſicco degentia; oceanum tranent.* (*ii*)

(*ii*) Etiam fabularum oblitus eſt, ut video, Voſſius, quod mirum eſt in homine tam fabuloſo? Ipſi autem non contigiſſet, ſi ſaltem Europæ fabulæ in mentem veniſſet. Vix animal quadrupes eſt, quod natare non poſſit, & contra naturam interpretari audet, ſi aliquando natâſſe perhibeatur. Idem de plantis judicium eſt, quæ licet delectentur ſicco, non poſſunt tamen non vivere etiam in humido.

Vt complures plantæ, quæ in aridis tantùm vivunt locis, diù adeò ſub aquis perennent, denique ut elementorum ordo & ſitus, absque ulla ne-

(*kk*) Si creator ita voluit, ut aquæ ultra locum in creatione ſibi aſſignatum aſcenderent, quid habes, Voſſi, quod contra dicas, ſi id fece-

X L.

Sed colorem videamus, quo pingit ſuas ineptias, *ſed verò*, inquit, *dicunt, quando DEVS loquitur, ibi debere ceſſare humana ratiocinia. Rectè verò, ſi verba divina unum tantum admitterent ſenſum. Sed verò quis neſcit, vocabulum omnis, paßim in Sacris Literis, ambiguæ eſſe ſignificationis, & rarißimè abſolutè accipi, plurimis verò in locis reſtringi ad ſubjectum, de quo agitur.* (*ll*)

(*ll*) Rectè, quæ de reſtrictione dicis. Itaque non ita cœco impetu ex Univerſalibus particularia facere, aut, unius voculæ pluribus ſignificationibus adductis, eam, quæ vel manifeſtiſſimè huc quadret & contextu optimè juvetur, reſpuere debemus; ſed videndum, quid permittat non ὑπερσοφία tua, ſed circumſtantiæ, quæ ubi non monſtrant, & cogunt te quaſi ad reſtrictionem, impiè, ſcito, te facere, & DEO ipſi in os contradicere, ſi reſtrictione utaris. Dicit Moſes, aquas ſuperâſſe montes omnes ſub toto Cœlo: Omnia animalia, imò omnem carnem, in qua fuerit Spiritus vitæ, interiiſſe, aquas per dies 150. in ſuperficie terræ ſtetiſſe, intra quod temporis ſpacium fieri non potuiſſe, quin aquæ (ſi maximè unico in loco mediocris quantitatis vel deſcendiſſent, vel in abyſſis erupiſſent) totum terrarum orbem perfluxiſſent, ſupra demonſtratum eſt; & dubitas, ſi audias, DEUM dicere, aquas omnia terrarum loca pervaſiſſe? Et Tu, his omnibus inſuper habitis, unam ſugillas voculam, *omnis*, & ita totam cauſam te, putas conficere? Sic enim ais: *vel apud ipſum Moſen, cum famem ſuper univerſum orbem invaluiſſe ſcribit. Gen. 41. non niſi de aliqua orbis portione intelligendum eſſe, fatentur Theologi.*

X L I.

Intuebimur textum. Ter omninò, ſi rectè notavi, legitur ſignum Univerſale in illa hiſtoria. Primò *cap. 14. v. 30.* Ubi terram Ægypti tantùm intelligi, textus non refragatur. Nec enim locutus tunc eſt Moſes de reliquis regionibus. Licet eventus docuerit, vicinas etiam regiones tangendas fuiſſe, habet itaque vox omnis eo in loco genuinam ſuam ſignificationem, ut omne id ſignificet, de quo loquitur. Secundò extat *v. 54.* ubi habetur vox אֲרָצוֹת in plurali. Ergo non poteſt ſignificari אֶרֶץ univerſus orbis terrarum. Nihilominus, inquis, fame tactæ dicuntur omnes Regiones, eæ ſcilicet fortaſsè, quæ Ægypto & Palæſtinæ

iſti Theologi, quid ſequatur abſurdi, ſi in toto orbe nullam fuiſſe dicamus regionem, quæ calamitate illa infeſtata non fuerit. Tertio loco legitur tale quid *c.43.v.1.* in verſione Latina, in Hebræo verò vox omnis non extat. Sed quicquid de his ſit, non haberemus fortaſſe cauſam, cur magnoperè moveremur ſuper hac voculæ explicatione hoc in loco. Non enim illâ tantùm voculâ, ſed toto contextu narrationis Moſaicæ nitimur; ſi enim unico tantùm in loco concedatur tanta aqua, tàm diu, in tantam altitudinem, ut montes quindecim ulnis ſuperârit aſcenſio; quid prohibet, quin aqua tanto temporis intervallo reliqua etiam loca pervaſerit? Aliud eſt, quod movit hunc veritatis adverſarium in præcipuo fidei articulo. In eo agone, ubi Satan miſeras conſcientias vexat hoc aculeo: num ipſi quoque pertineant ad eos, quos Deus velit ſalvos fieri, quos nolit perire, quos vocet ad nuptias filii ſui, quos à lapſu in ſalutem velit erigere? Ubi non opus eſt, ut ipſe ſolicitè limitationes harum univerſalium quæras, ſatis ſuperq; iis moleſtus tibi erit Satan & tua Conſcientia. Hæc etſi propriè huc non pertinent, ideò tamen feci eorum mentionem, ut appareat quantum periculi, ex levicula, ut videtur, verbi Dei perverſione, impendeat animæ noſtræ, adeoque cohibere diſcamus, Deo loquente, ſapientiam noſtram; nec inquiramus in veritatem ſummæ veritatis, ſed in ſenſu (circa quem ipſum tamen meminerimus illud Comici, *ne quid nimis*, imò illud Salomonis. c. 25. v. 27. *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria*, vel, ut habet verſio Lutheri, **wer zu ſchwere Ding forſchet/ dem wirds zu ſchwer**) acquieſcamus. Sed de his alibi, redibimus ad præſentia. Sic itaque pergit Voſſius.

XLII.

Quid obſtat igitur, quo minus, cum Deus dicitur inundâſſe univerſam terram, & pleraque merſiſſe animalia, totam Terram habitatam, & omnia habitatæ telluris animalia intelligamus. (*mm*)

Cum innumeris in locis vocabulum hoc ita accipiatur, conſentientibus omnibus interpretibus, quidni etiam hîc ſic poſſit ac debeat? (*nn*)

(*mm*) Nihil ſanè obſtat, quin hæc intelligas; ſed quæro, quid obſtet, quin alia etiam intelligas? præſertim cum ſupra audiveris, aquas diluviô totum terræ globum neceſſitate Naturæ pervaſiſſe.

(*nn*) Quid ſi invertam argumentum; cum ſaltem quibuſdam in locis ſimpliciter univerſaliter accipiamus, cur non etiam hoc in lo-

co, ubi Moſes Univerſalitatem tàmdiligenter inculcat?

Id ſi fecerimus, jam omnis prorſus tolletur difficultas, nec qvicqvam vel magnitudini miraculi, vel Majeſtati decedet divinæ. (oo)

(oo) In cerebro ſcilicet Voſſii, cui pro ſua anguſtia ſatis fortaſſe miraculi fuiſſet diluvium Deucalionis. Si autem DEUS majus aliquod tibi narret, num negabis propterea, quia minus eſſe potuiſſet, & dicas nimium eſſe, incredibile, impoſſibile eſſe?

X L I I I.

Sed reſipiſcere videtur Voſſius, & ab inanibus Speculationibus ad textum redire. *Tantum abest*, inquit, *ut verba Moſis huic interpretationi obſtent, ut potius eam confirmare videantur.* (pp)

(pp) *Videantur*, inquit, At quam aptè hoc adjectum! ſed videamus quomodo videantur confirmare.

Nempe, ait, *jam inde à creationis principio, DEUS univerſum terrarum orbem, pro facultate ſingularum terrarum mariumque, omni ferarum, piſcium, arborumque genere implevit. Unus tantùm homo ſolitariè procreatus fuiſſe dicitur. Maximè autem alienum fuerit exiſtimare, bina cujusque ſpeciei animalia, idque uno ſaltem in loco à DEO fuiſſe formata; ſi enim ita ſentiamus, quid demum fiet de illis plantis, animalibusque, quæ in ſeparatis proveniunt continentibus, quæque, ob memoratam ſupra rationem, non potuerunt ex noſtro orbe illuc transferri ac propagari,* (qq)

(qq) Hæc quid ad rem faciant, fateor, me non intelligere, niſi fortè hoc velis: Deum v. g. in Palæſtina (aut, ut ego ſuſpicor penes ſinum Gangeticum, vel quisquis fuerit ille locus, in quo Adamus creatus fuerit) creatione occupatum, non potuiſſe ſimul creare alia aliis regionibus. Ergò ne divina quidem Natura huic fanatico omnipræſens eſt.

Non verò rectè argumentantur, qui dicunt, niſi diluviô univerſus terrarum Orbis fuiſſet contectus, Noahum ad ſicca loca potuiſſe confugere, ac ſimul parcere labori ſuo, in extruendo vaſto adeò navigio. (rr)

(rr) Noctuas Athenas defert, qui ita argumentatur, quid enim opus eſt, argumenta quærere ad confirmandum verbum DEI per ſe manifeſtum? ſed audiamus, quid Voſſius reponat.

Aliter

Aliter argumentatur DEUS, cum Juſtitiam locum non habere cenſuit, niſi in loco convenienti. Ecquis verò convenientior concipi poſſit locus illô, quô ſontes in conſpectu Noahi punirentur, ipſe verò inſons in loco peccatorum conſervaretur. (ſſ)

(ſſ) Catum conſilium. Aperuit ſcilicet feneſtram Noahus tempore diluvii, & ſuffoçationem ſpectavit ſubmerſorum, qui usque ad ultimum penè diem manſionis ſuæ, ne rimam quidem quæſivit, per quam proſpiceret. Non fuit tàm duri cordis, quin ſemel ſibi dictum à Deo, omnem carnem, omnia ab homine ad beſtias peritura in diluvio, ad animum revocaret, præſertim, cum id ipſo facto fieri videret, & utique non ſine tremore, per totum illud tempus, quo in arca, tanquàm in cuſtodia ſine dubio non ſatis jucunda, reſidebat, ſecum perpenderet.

X L I V.

Sed nec illi (pergit Voſſius) *benè dicunt, ſi diluvii tempore non perfectè Sphærica fuiſſet aquarum ſuperficies, arcam in inæquali aquæ libramento neceſſariò ad depreſſiora loca fuiſſe declinaturam. (tt)*

(tt) Putatne ergò Voſſius, aquæ ſuperficiem in diluvio non fuiſſe æquabilem, & ſumtam cum globo terreno tale conſtituiſſe corpus, cujus centrum non amplius fuiſſet idem, quod prius terræ centrum? Tu vide ſupra figuram ad Theſ. 17. Ubi figura E, I. F. aut ſimilis aquæ neceſſariò fuit in diluvio Voſſiano. Credisne verò talem per integrum annum durare potuiſſe? Ego non credo, multò minus credo, naturam id fuiſſe paſſuram. Sed aquam dico fuiſſe defluxuram verſus B. & D imò verſus C, ut ſuperficies globi terræ & aquæ permanſiſſet æquabilis, & ubique à primo terræ centro æquidiſtans.

Minimè verò hoc neceſſe fuit. Quod in minoribus inundationibus, idem quoque in hoc magno & plusquam naturali, (in quo differt terminus hic Voſſianus, plusquam naturalis à ſupernaturali, quem ſupra viſus eſt aſpernari?) *contigit diluvio. Eadem namque vis, quæ ventos, oceanum, & nubes pluvias in continen-*

(uu) Nunc intelligo Voſſii noſtri ſapientiam. Ventos prohibuiſſe putat aquas per integrum Annum, ne ultra pūctum E & F figuræ Theſeos 17. poſſent profluere, ſed ſemper in cumulo illo E I F cogerentur perſiſtere. Sed quæſo lector, quid eſt fumos vendere, ſi hoc non eſt? Ventos molem illam aquæ circuire & prohibere, ne porrò flue-

declivia aquarum latera, quoad opus fuit, ſuſtinuit. (uu) *Vt itaque abſolvam, non video, cur non veriſimilior noſtra videri debeat opinio, quàm eorum, qui, ut infinitum faciant diluvium, miracula miraculis fulciunt, ac meras inducunt contradictiones.*

re poſſit. Eſtne hoc miracula miraculis, an nugas nugis fulcire? Et quæ vis id fecit? naturalisne, an divina, ſeu ſupernaturalis? naturalem dicere non potes. Nam, ut audivimus, aqua naturaliter non conſiſtit in cumulo aliquo peculiaris loci, ſed in alia loca diffluit, ut reddat diſtantiam omnium partium ſuperficiei à centro æquabilem. Si verò ſupernaturalis aut divina fuit illa vis, quâ fronte Voſſius rejicit miracula, in confirmandis iis, quæ Moſes narrat, nobis verò obtrudit in iis, quæ ipſe narrat? Infinitum facere diluvium nemo unquam tentavit. Nihil poſtulamus, niſi ut aſſentiaris verbis Moſis, nec, quæ ille ad terrorem impiorum pro magnitudine ſua deſcribit, extenues, &, ut extenuare poſſis, miracula fingas.

X L V.

Pergit: *Si itaque ſtatuerimus, habitati tantùm orbis plantas, animalia ac homines inundatos ac abſorptos fuiſſe, ceſſabunt protinus omnes difficultates. Si ſic verba Sacræ Scripturæ accipiamus, non opus erit, fingere diluvium ambulatorium.* (vv vv)

(vv vv) Si ſcilicet aqua uno in loco defluxa, in alia ſeſe diffudiſſet. Quis hoc factum dicit? Ex Hypotheſi ſupra me dixiſſe memini, ſi aqua unico tantùm in loco defluxiſſet, non minus in reliqua etiam terræ loca fuiſſe penetraturas, ſed ſi maximè id factum eſſet, non tamen propterea diluvium fuiſſet ambulatorium. Eſto, quædam loca tardius fuiſſe inundata, non tamen propterea aquæ omnes priora loca reliquiſſent, ſed tantum, quantum, ad ſuperficiem ejus centro æqualiter conformandam, opus fuiſſet.

X L V I.

Pergit: *Nec attinebit quærere, quis immanes & ignotas ſerpentes in Braſiliam transvexerit,* (xx) *& quo pacto animal, cui à tarditate inceſſus ignavi vocabulum indidere, ad Noahum ſtabulatum perrexerit,* (yy) *Ac inde denuò novum repetierit or-*

(xx) Serpentes ἀμφίβια eſſe, & quidem talia, quæ æquè facilè in aquis vivant, ac in terris, notum eſt. Nihil ergò attinet circa eos magis eſſe ſolicitos, quàm de piſcibus.

bem, breviqueſpacio viam confecerit, quam ne viginti quidem annorum millibus naturali gradu devincere potuiſſet?

(yy) Dignum profectò animal, in quo fidem ſuam ſuſpendat Voſſius? fortaſſe aliud quoddam hoc eò ſimul portavit: Aut quid ſi, cum tantæ ignaviæ ſit, inter ea ſit, quæ è fimo & luto ex aquis diluvii reſiduo demum nata ſint? Ego quidvis potius mihi imaginarer, quàm ut ad ſcopulum Voſſianum naviculam fidei meæ naufragium facere paterer, & negarem manifeſta verba, ut his ineptiis ſatisfacere poſſem.

Sufficit (zz) unum ſtatuere miraculum, majorem nempe inundationem, quàm per ordinarias naturæ leges unquam facta ſit.


(zz) Cui ſufficit? Mihi fortaſſe ſufficeret, ſi Moſes nudè ita dixiſſet, ut tu dicis, qualecunque ſpacium ei operi imaginando aſſignare. Cum verò modum, quo id factum ſit, talibus verbis deſcribat, ex quibus, ſi Voſſiana ſapientia non interveniſſet, pueri æque ac ſenes meram univerſalitatem collegiſſent. Et quia magnifica illa undarum diluvii deſcriptio ad memoriam ſempiternam facere debuit. Nugacem profectò & inſignem verborum Divinorum contemtorem eſſe, neceſſe eſt, qui iſta omnia ita extenuat, ut novis Schematum Rhetoricorum inventionibus opus habeat, qui novum huic Scripturæ affictum ſenſum cum veritate ſermonis in ipſo textu conciliare velit.

Sed & hæc pro hac quæſtione ſufficiant.

EXAMINIS
THEOLOGICO-PHILOSOPHICI
HYPERSOPHIÆ ANTIBIBLICÆ
PARS III.
De Motu Terræ Copernico.
THES. I.

NIcolaum Copernicum, cum veteribus Pythagoræis, in Hypotheſibus ſuis Aſtronomicis, Solem ſtantem, terram verò mobilem exhibuiſſe notum eſt, & ita notum, ut illa ſententia dominetur hodiè apud omnes ferè Aſtronomos, adeò ut initio, profeſſionis meæ, cum intellectum eſſet, ſententiam me Tychonicam, Copernico hac in parte contrariam, fovere, non leviter vacillare viſa ſit exiſtimatio de ſolidâ apud me Aſtronomiæ ſcientiâ, fruſtra mihi aſtipulantibus Sacris literis, quibus nihil negocii cum Mathematicis & aliis ſcientiis ajebant. Cum verò hoc apud me immotum maneret, quicquid in verbo DEI affirmatur, id, de quacunque re ſit, modò de ſenſu conſtet, in dubium vocari non debere, & licet quandoque non eſſet ſine Tropis, ambiguitate tamen & phraſibus à puro ſermone, quem contextus ſuppeditaret, ab horrentibus carere. In prioribus verò meis functionibus initio unicè pòſt ſaltem inter lectiones præcipuas Theologicas etiam tractaſſem, propterea que non potuiſſem tàm parvi facere Sacrarum Literarum, etiam in iis, quæ non præcipuè ad ſalutis doctrinam pertinerent, authoritatem, ut humanas φλυαρίας, quocunque colore pingerentur, Sapientiæ divinæ præferrem, ideoque ſemper ante habui ſententiam Ptolomaicam & Tychonicam, non tàm propter authores, quàm quod animum S. Scripturæ diligenti rimationi, præſertim in prioribus officiis, aſſuetum, nec hactenus prorſus deſuetum, vincere non potuerim, ut plus valere apud me paterer magnorum etiam Aſtronomorum argumenta. Etſi verò non abs re fortaſſe fuiſſet, iisdem argumentis hanc ſententiam propugnare, quibus antecedentes duas propugnavi, Biblicis videlicet, vel ſaltem Phyſicis. Quia

ſchola, tùm poſtea publicâ diſputatione hîc Altdorffi habitâ, tentavi: Sed alii etiam non tantum tentarunt, ſed etiam perfecerunt eatenus, quod & argumenta ſatis firma pro noſtra ſententia attulerint, & contraria maſculè refutârint; apud Mathematices tamen & novatores Phyſicos nihil aut parum profecerint, quod illi Mathematicas demonſtrationes requirerent, hi etiam dudum recepta, & hactenus pro immotis habita Phyſices principia negare, & aliis permutare mallent, quàm quæ â noſtratibus ex illis eſſent demonſtrata acceptare. Hæc cum viderem; cœpi mecum argumenta noſtratium, & potiſſimum Ptolómæi, quæ habet *Almageſti l. 1. c. 7. non longè à fine* attentius conſiderare, & ex illis unicum ſaltem ſeligere, quod Mathematicis adeoque demonſtrativis etiam fundamentis niti videbatur, idq; clarius explicatum jam ante annos aliquot *Phyſicæ meæ* (quam propter principia Ariſtotelica inibi exculta, & propter demonſtrationes à penore ipſius pleraſque deſumtas, *Ariſtotelicam* vocare volui) inſertum, publici juris feci, nec quenquam hactenus, qui ſolidi aliquid haberet, quod contra afferret, audire, vel quoquo modo cognoſcere potuerim, operæ precium me facturũ putavi, ſi propter ſimilitudinẽ materiæ cum quæſtionibus antecedentibus hanc quoque conjungerẽ. Ita autem habet;



I I.

Proponitur hîc Atmoſphæra, hoc eſt, globus terræ, cum vaporibus inde aſcendentibus, aliisque Meteoris, cum ſuo axe A. B. in inferiore Regione aëris. De quibus jam olim quæſtio nata: An poſito, terram in circuitum moveri, nubes ſimul moveantur, an verò in loco ſuo maneant? Reſpondet recta ratio, & ipſe ſenſus & conſenſus utriusque partis, omninò ſimul moveri neceſſe eſſe, ſi terra moveatur; ſi enim nubes vel in loco

ſuo primo conſiſterent, vel à ventis aliorſum, quàm ad plagam orientalem, quò ipſe globus etiam tendit, propellerentur, fieri non poſſe, quin ille concurſus, & ſimul turbatio diverſorum motuum, â ſenſibus animadverteretur. Sit itaque, ut dixi, Atmoſphæra cum Axe ſuo A B. Æquator ſit C. D. E. F. G. H. ad cujus regulam ab occaſu verſus ortum, ut ratio fert Aſtronomiæ Copernicanæ, moveatur, ſole contrà & reliquis aſtris, ab ortu verſus occaſum, moveri viſis, in partes æquales, literis modò denominatis, diviſus. Moveatur deindè, per ventũ vel ſeptentrionalem, vel ſeptẽtrioni collateralem nubes ab I. per K. L. M. N. itidem in H. per ſpacia I K K L, L M, M N, N H, ſpaciis I D, D E, E F, F G, G H, commenſurabilia, ita' ut interea, dum punctũ C movetur in D, nubes ab I moveatur in K, dum D in E, illa moveatur à K in L & ſic deinceps. Donec tandem utrumque in puncto H concurrat. Ita enim fieri neceſſe eſt, ſi omnia meteora, & nominatim nubes hæc tàm exactè cum globo terreno circumrotetur, ut nulla diverſitas, vel turbatio horum motuum ſentiatur: Quæritur an hoc fieri poſſit? Reſpondeo, non poſſe; indeque certum eſſe, quia nulla perturbatio motus nubium à ventis ſemper directè agitatarum ſentiatur, motum terræ nullum concurrere; ſi autem concurreret, inde ſecuturum eſſe, ſpacia æqualia æquatoris, inæqualibus ſpaciis lineæ I. H. æquales eſſe, vel nubem per ſpacia inæqualia ab eodem movente (vento ſcilicet) æqualiter moveri, quorum utrumque abſurdum eſt Eſſe autem ſpacia v. g. I K & N H inæqualia, ſi quis ſenſibus ſuis credere nollet, facilè demonſtratur, quia in Triangulis, quorum anguli I. A. K. & N. A. H. comprehenduntur cruribus homologis (I A reſpectu N A & A K reſpectu A H) baſes I K & N H ſunt inter ſe æquales.

I I I.

Si quis dicat, dubium eſſe, num ventus in illa per omnes partes agitatione æqualis ſit? Reſpondemus 1. affirmando tam diu, donec oſtendatur ratio, quæ ventum in partibus diverſis inæqualem reddat. 2. Dicimus, ſi maximè intercederet aliqua inæqualitas, nequaquam tamen ita eam eſſe poſſe comparatam, ut ita regularis ſit, & cum tanta harmonia ſummæ æqualitati cœleſtium motuum reſpondeat, ut v. g. vehementia venti à puncto I ad punctum H, cum motus ibi ſit tardior, & minor pars motus nubis motui æquatoris reſponderet, tantò ſit remiſſior, quàm à puncto N ad H, quanto pars I K minor parte C D quàm pars N H parte

G H. Ut autem demonſtratio eò magis ſit perſpicua, comprehendimus eam ſequenti ſyllogiſmo.

Quæ ſunt æqualibus æqualia ea etiam inter ſe ſunt æqualia.

Sed partes I K. K L. L M. M N. N H lineæ I H deferentis motum nubis à ventis agitatæ, ſunt partibus æquatoris C D, D E, E F, F G, G H æquales.

Ergò partes lineæ I H ſunt inter ſe æquales, aut falſum punƈta I K L M N punƈtis C D E F G circumrotari.

Concluſio eſt abſurda ut non difficulter ejus contradiƈtoria demonſtratur ex Trigonometricis, (quia enim anguli ad A, I A K, I A L &c. ſunt æquales, latera verò angulos cõprehendentia A I, A K, A L &c inæqualia, neceſſariò Baſes etiam angulo A ſubtenſæ inæquales erunt.) Ergo Major etiam, vel minor abſurda erit, ſed major eſt Axioma Mathematicum, ut conſtat l. 1. Eucl. Ax. 1. E. minor abſurda erit, ſed minor eſt eorum, qui ſtatuunt, nubes in motu primo ſimul cum terra æqualiter (ut nulla vel viliſſima inæqualitas vel ſenſu vel ullo alio documento animadverti poſſit) circumrotari. Ergò hæc ſententia abſurda erit, quod erat oſtendendum.

I V.

Quod verò ipſi dicunt, ſequi inde majorem celeritatem Cœleſtium motuum, quàm quiſquam ſibi imaginari poſſit; recordandum erit Axiomatis Metaphyſici, quod DEUS omnia & hodiè poſſit, & olim creare potuerit, quæ contradiƈtionem non implicant; non implicare autem contradiƈtionem celeritatem illam, ita oſtendo: Sit jam punƈtum H centrum globi terreni, circa quod terra moveatur, & ſpacio 24. horarum circumvolvatur, infixus autem ſit eidem globo baculus I H vel C H (quod nemo dixerit Creatori fuiſſe impoſſibile) pertingens à punƈto H uſque ad C. vel I. (quæ punƈta nunc in Sphæra ſtellarum fixarum eſſe ponimus) Quæritur, quid obſtet, quo minus baculus ejuſmodi unà cum globo terreno circumrotetur? nihil puto. Si autem hoc fiat, quæritur an non tali caſu punƈtum C vel I eâdem celeritate circa centrum terræ rotetur, qua Ptolomæus & Tycho (quicquid ſanè tu tibi imaginari poſſis) rotari ſtatuunt ſidera? Hiſce itaque ita ſe habentibus, demonſtratum puto, Solem cum ſideribus reliquis quotidiè circa terram ſpacio 24.

V.

Hâc Demonſtratione Mathematicâ unicâ, quæ omni exceptione ſuperior eſt, ero contentus, cum notum ſit in Mathematicis & aliis ſcientiis, ubi Demonſtrationes afferuntur, non multitudine, ſed robore argumentorum pugnari ſolere. Ne ſi argumenta probabilia conjungerentur, adverſarii illa adorti, principalia intacta relinquant. Argumenta verò Theologica, & ex Scripturæ dictis de hac re deprompta, accuratè exhibuit, & illis objectionibus, quibus nonnulli authoritatem Scripturæ ſuper hac materia eludunt, (idem ſine dubio in gravioribus controverſiis, ſi è re ſua videbitur, facturi) accuratè reſpondit *Johannes Herbinius* in ſuo Terræ motus & quietis Examine, itaque actum non agam, nec aliorum Scripta compilabo. DEUM, qui eſt ipſa veritas, precor, ut Veritatis ubicunque, ſivè in ſacris, ſive in profanis, ſplendeſcentis amorem in nobis conſervet, & in dies augeat, omnium contra, Sophiſmatum non minus, quàm manifeſtorum mendaciorum ſtrophas potenter eludat & extinguat. AMEN!

APPENDIX

Ad ea, quæ dicta ſunt

De Particularitate Diluvii.

CUm hæc jam abſolviſſem, nihilque videretur reſtare, quàm ut, quæ ſcripſeram, Typographo traderentur; Ecce amicus quidam conſpecto, ut ajebat, in Catalogo titulo hujus Scripti mei, ſolicitudine, ut interpretor, vel ne quid prætermitterem, quod ad rem pertineret, vel ne in caſſes inciderem incautus, nec ſatis perpenderem, quàm fortia argumenta adhuc reſtarent, quorum ignarus ego ſcriptum minus elaboratum edidiſſem, mittit mihi è nundinis Lipſienſibus duo ſcripta de eadem materia, quæ itidem ex Univerſali Diluvio particulare facere niterentur, utrumque Genevæ formâ duodecimâ impreſſum, alterum ſine no-

& antequàm ſatis perpenderem, parum aberat, quin juſtum Scriptum de utroque adjungerem. Sed poſtquam attentius legi, animadverti, rem non facere operæ pretium, quod ſcilicet pauca admodum eſſent, quæ ſuperius non eſſent refutata, aut ex refutatis ſuperioribus, quàm eſſent vilia, judicari non poſſent; & pauca illa, quæ reſtarent, nequaquam tantam importarent difficultatem, quæ juſtum tractatum mererentur. Accedebat, quod metuerem, ne, ſi nimium temporis in hiſce refutandis inſumerem, & ita priori ſcripto in mora eſſem, ſuſpicionem injicere m Lectori, & Scriptum hoc meum expectanti, quaſi hiſce Scriptis, tanquam novo aliquo monſtro, territus vadimonium deſeruiſſem, & Scriptum etiam prius revocaſſem. Tandem placuit hæc duo Scripta ſub refutationis quidem incudem ſumere, ſed ita, ut quæ inter legendum obiter quaſi animadvertiſſem, ſi quid habere viderentur novi, præter ſuperiora, ad ea breviter & tranſcurſoriè quaſi reſponderem, quæ verò vetera, ubi ſuperius jam eſſent refutata, oſtenderem, ſi verò quæd[illegible]m viſum ſubterfugiſſent, ea commodior occaſioni reſervarem. T[illegible]ne Lector, niſi jam ex ſuperioribus laboris vani es pertæſus, ſi ha[illegible]que legere volueris, gratum facies; ſi nolueris, veniam tamen apud me facilè impetraturum confidito. Accedemus autem primò ad Authorem Anonymum, hujus enim Scriptum totum conſumitur in hac materia, quæ in Scripto Milii, quod aliàs eſt de *Origine Animalium & migratione populorum*, appendicis tantùm loco tanquam ab aliud agente, annectitur.

1. Ac primò quidem, ut, quanti Author faciat S. Scripturæ dogmata, tanquam ex ungue Leonem cognoſcas. *Camarinæ* comparat p. 2. ea, quæ ex communi ſenſu & ſententia de iis, quæ Moſes ſcripſit, pii ſentiunt. De quo quid ſit ſentiendum, nolo dicere, videat Lector, ſi placet, quæ de proverbio *Camarim movere* habentur apud alios. Præ fœtore enim, non veteris illius, & meritò receptæ ſententiæ, ſed putidorum, & Camarinæ fœtorem redolentium commentorum, referre nolo.

2. Ut clarius doceat Scripturam Sacram ipſi pro Camarina eſſe, quæ non movenda ſit, adeoque nudâ abjectione potius, quàm diligenti lectione & conſideratione dignam videri, dum ait eâdem paginâ: *Noahum, montibus undiquaque ac naufragiis obſeſſum, tot, tantorumque periculorum nullâ ratione habitâ, ſub columbæ unius auſpicio non eſſe veritum arcæ ſeptis prodire, ſeque lubrico adhuc ac male fido terrarum ſolo committe-*

re. Tu verò Lector lege Moſen *Gen. c. 8. v. 13. 14. 15.* & invenies Noahum, neque columbæ ſolius auſpiciô ex arca, nec antequam probè explorâſſet & deprehendiſſet totam terram exſiccatam, nec antequam à DEO ipſo egreſſionis admonitus eſſet, egreſſum eſſe. Vilia fortaſſe hæc, ſed non vilem in Sacræ Scripturæ, quam inſuper refutandam ſibi ſumſerat, lectione oſcitationem oſtendentia.

Pag. 10. & 11. Quærit *de materia aquæ*, unde ejus tanta copia, ut tantum, quod totum terratum orbem obruere poſſet, confici potuerit. Ex mari id fieri potuiſſe negat, quia, quantum aquæ diluvio acceſſerit, tantum mari neceſſariò detractum fuiſſet. Hoc ſuo loco relinquo. De aëre autem ideò negat, quia, ex ſententia Ariſtotelis aliorumque Philoſophorum, decuplo plus aëris, quàm aquæ, adfuiſſe neceſſe foret. Tu Lector vide, quæ in hanc ſententiam ſupra jam Scripta ſint Theſ. 11. Quæ ſi tibi non ſufficiant, quæro ex te, unde Chriſtus ſumſerit panes pro quinque millibus hominum, de quinque panibus, quos puer portaverit. Sed nihil vis ſcil. audire de miraculis ſuper opere DEI miraculoſiſſimo. Sed & de hoc ſupra.

3. Studium Pacis, quo nemini hæc obtrudere, aut controverſiam movere velit, de ſe commemorat homo pacificus, ibid Sed quid? Tu, cum controverſias ex inferis excitâris de verbis Spiritûs Sancti, quæ nullus hominum ante te in controverſiam, te ipſo fatente, vocaverit, Pacis ſtudium obtendas, cum ratio reddenda ſit? Egregius profectò Diſputator!

4. Pag. 12. Refutat multis verbis, aliquot paginas replentibus; eos, qui rarefactionem fingunt, qua aquæ in tantam molem excreverint. Tu Lector benevole, ne ſit neceſſe crambem, bis coctam reponere, lege ea, quæ de eodem negocio dicta ſunt ſupra contra Voſſium Theſi 27. & ſeqq.

5. Pag. 14. Diſſerit de cauſis, quibus terra poſt diluvium iterum arefacta ſit. Tu vide Moſem, cap. 8. & videbis æquo animo te omnibus authoris & aliorum, quas pro vel contra adducit, nugis in hac quæſtione ſuperſedere poſſe; primo Moſes utitur voce generali שָׁכוּ quæ ſignificat *ponere ſe*, quod Lutherus vertit, die Waſſer fielen. 2. utitur voce חָסֵר *defecit*, quæ itidem ferè generalis eſt. 3. utitur voce הָלַךְ quod aliàs ſignificat *ambulavit*. quod Lutherus vertit, es verlieff ſich / aquæ ſcil. quæ abyſſis proruperant, iterum in cavernas tendebant. 4. Utitur voce

exruit, es vertrocknete/ in terram ſcil. mutata. 5. voce כָּלָה ſind verzehret worden/ ab aliis ſcil. elementis terra & aëre, in quæ mutata ſunt. 6. Iterum alia voce *arefactionem* ſignificante חָרֵב *aruit*. Et hæc pleraque potiſſimum, quæ de arefactione dicta ſunt, *vi ventorum* facta, verſu ſtatum primo hujus capitis dixerat;

Ut ita & hoc falſum ſit, quod dicit Author p. 14. *calorem*, inquit, *cauſam ceſſationis diluvii fuiſſe conſtat*, cui hoc conſtat? ei ſcil. qui textum non niſi limis oculis aſpexerit. Vident ſcil. ſcioli iſti, quibus fœtet vetus, & vera, & rectè explicata Ariſtotelis Phyſica, quantum per illius contemtum etiam in Scripturæ ipſius explicatione amiſerint.

Pag. 14. 15. Et paſſim alibi in hoc Scripto ridet eos, qui in iis, quæ circa diluvium ex cauſis purè naturalibus explicari poſſe diffidunt, ad *miracula* confugiunt. Quod eſſe dicit non niſi eorum, quibus deplorata jam ſit ſalus, nec amplius reſtet ſpes. Ego verò, quando Deus ipſe operum ſuorum aliquod narret, in quo non diſſimulat multa concurriſſe admiranda, æſtimandum reliquo his, quibus vel mica ſaltem pietatis in animo reſidet, quid pio Chriſtiano vel Theologo vel Philoſopho dignius, ut quando in opere tali aliquid concurrit, quod cum principiis purè phyſicis conciliare humana ratio nequeat, quid, inquam, ſit tali homine dignius? purè ne negare, quantumvis ῥητῶς Scriptum videat, & Spiritui Sancto contradicere? an verò, per miraculum aliquod factum eſſe, dicere? Sed ſcil. ait p. 15. Ideò Deum triginta dierum pluviis uſum, aquas ex abyſſo educere, *quòd cauſis naturalibus* uti potius habuerit. Tu aliam cauſam, cur tanto apparatu Deus uſus fuerit, vide ſupra Theſ 13. & æſtima utra videatur potior. Et num hoc ſequatur, ſi Deus naturalia adhibuerit, itaque miraculum nullum uſurpaſſe aliud, diſces ex miraculis Chriſti cujusmodi erat in nuptiis Cananæis Joh. 2. In ſurdo & muto; Marci 7. in quinque millibus hominum, quinq; panibus cibatis &c. Joh. 6. Ubi rebus naturalibus ſupernaturaliter & miraculosè uſus eſt.

5. Quæ de iis Authoribus dicit, qui aquas cœleſtes accerſunt in nobis non hærere, itidem ex ſupra dictis conſtat.

6. Pag. 24. Specioſam, ut videri vult, rationem ſibi ipſi opponit *Non eſt, fateor*, inquit, *convellendum temerè, quod jam in vulgus receptum fuit.* Quæſo quis habet hoc axioma? Tu hoc potius ſcias. Non teme[illegible] profſus non convellendum, quod Deus ipſe in verbo ſuo, & qui

dem tot verbis, dictaverit, & ſenſum alium illis affingendum: Certè verba alium, quàm univerſalis diluvii, permittere, nedum ſuppeditare; vel alia verba, ad univerſalitatem ſignificandam aptiora, dari potuiſſe, affirmare non audes, quæ igitur cauſa te adegit, ut calamum contra ſtringeres? nulla certè alia, quàm hæc, ut ſapientiam tuam Sacrâ Scripturâ ſuperiorem oſtendas, & ſenſu genuino, & authoritate divina, in quæſtione, quæ ad ſalutem directè ſpectare non videretur, ſublato, quidvis poſtea in iis, qui ipſam ſalutem concernunt, tibi permittendum putes. Non antiquitatis quippe, & quidem variis & multis fundamentis ſuffultæ, ut elumbes tuæ ſimilitudines p. 25. putari volunt, ſed Divinæ, ut dixi, authoritatis hîc res agitur, cui qui delectatur tam temerè & tam frivolis ratiunculis contradicere, is meminerit, quod Chriſtus dixit, *de quovis verbo ocioſo*, nedum divinæ veritati oppoſito, *rationem in judicio extremo reddendam eſſe.*

7. Pag. 26. Authoritates ſibi oppugnandas ſumit. Et primo ei, quòd dicitur, excepto ſolo Noaho, cum uxore & liberis, eorumque uxoribus, omnes homines de terra deletos eſſe, opponere audet putidum illud *commentum de Enoho*, qui tempore diluvii adhuc in terris fuerit, & tamen aquis diluvii non perierit. Sed unde ipſi conſtat? quia ſcil. Scriptura non dicit, in cœlum abreptum eſſe, quod omnes pii factum credidere. Sed tantùm in terris non amplius comparuiſſe, & poſtea multis verbis, quæ ut non ſine tædio legi, ita ſine nauſea aſcribere non poſſum, inquirit ubi terrarum ſit, & tandem concludit, in monte *Atlante eſſe*. Nonne verò vertigini ſimilis eſt ſapientia hujus hominis, Divinæ & manifeſtæ veritati opponere id, quod non tantùm incertum, ſed vanum, futile & ridiculum ſit. Verba Scripturæ manifeſta negat, quod apertè innuit, & quivis homo pius ultrò ſibi perſuadeat, iterum negat, quod ne verbo quidem innuit, &, tanquam illius authoritate niteretur, pro certiſſimo venditat. Et quæ hæc inſania eſt, negare paradiſum aquis diluvii obrutum? quia ſcilicet, in excelſos monte fuit, quo aquæ diluvii penetrare non poterant. Quomodo ergò eò penetrarunt aquæ egreſſæ, ut rigarent hortum, & ibi diviſæ in quatuor capita, Gen. ·.v.10. Nonne inſanire hoc eſt potius, quàm diſputare?

8. Pag. 29. Recitatis verbis Moſis, quibus Univerſalitas Diluvii

da & ad particularitatem reſtringi videantur, addit exempla quorundam dictorum, quorum Vniverſalitas itidem reſtringenda ſit; de quibus in genere notetur, non ſequi, ſi maximè hæc & alia particulariter exponi poſſent, neceſſariò in dictis Spiritus Sancti propriè univerſalibus, & in quibus nullam particularitatem ſaltem ſuſpicari ex contextu liceat, idem fieri debere. Sed videbimus, quid exemplorum loco afferat. Ubi, quod benè vertat, initium facit à Barbariſmo, quem Latinus interpres commiſit in verſione dicti. Gen. 2. *Fontem aſcendiſſe* & rigaſſe terram, ubi in fontibus eſt vox אד non fontem ſed vaporem ſignificans, qui ab aquoſis terræ aſcendens in nubes (ſi tamen nubes diverſum quid ſunt à vapore) & pluvias mutatus univerſam terram viciſſim aſcendendo rigaverit. Hoc quia ubique ſuper univerſa terra fit, itaque univerſalitati verborum Moſis idem affirmantium demere nihil poteſt.

9. De Univerſalitate famis Ægypti quæ dicit p. 21. ſupra ſatis explicata ſunt Theſi 41. Itaque brevitatis cauſa ſuperſedemus.

10. Dictum Dan. 2. v. 37. De Univerſalitate Regni Nebucadnezaris ad aliquam particularitatem reſtringi patiemur, ſi Voſſius nobis oſtenderit aliquod regnum, quod ipſius regno ſubjectum non fuerit. E. inquis, fuit etiam Rex Americæ? Ad hoc reſpondebo, ſi tu prius reſpondebis, fuerint ne tunc regna in America? Itineraria certè hodierna docent, populos in pleriſque locis fuiſſe ante noſtratium, adventum feros, regiminum impatientes. Fortaſſe ne duces quidem habentes, cum non eſſet locus, quo deduci propter feritatem ſeſe paterentur. Deindè dato, quod hoc dictum συνεκδοχικῶς, de regnis ſcil. cognitis & regimini ſubjicibilibus, exponi poſſet, multò tamen alia ratio eſt de dictis Moſis, in quibus intentio DEI, quæ erat, non tantùm omnem carnem delere, & tam diligens inculcatio, omnes montes aquis opertos uſquè ad quinque Cubitorum exuperantiam, aquas fuiſſe ſuper univerſam terram &c. Interiit omnis caro, in qua Spiritus vitæ &c. nulli limitationi locum relinquit, præſertim cum de aquis, naturaliter quoquo verſum fluentibus, aliter ne ſuſpicari quidem natura nobis permittat.

11. In allegatione dicti Evangeliſtæ de cenſu Auguſti, qui univerſalis perhibeatur, univerſalis tamen non fuerit, iterum deſidero, quod ſupra in aliis, diligentiorem ſcil. attentionem ad verba Sacræ Scripturæ,

degiſſe, ſed recitatur Decretum Auguſti: ut deſcriberetur univerſus orbis. Jam notum eſt, quantopere ſibi placuerint Romani eorumque aſſentatores, hac imaginatione, quaſi totus terrarum orbis ipſorum Imperio ſubjectus fuerit, aut eſſe ſaltem debuerit, à quo tamen longè adhuc abfuiſſe, uti eſt veriſſimum: ita tanta verboſitate authori, ut id probaret, opus non fuiſſet. Quod verò Maldonatus eò videatur inclinare, quaſi per univerſam terram, Auguſti Decreto comprehenſam, Syria tantùm intelligatur, à textu alienum eſt. Majori itaque facilitate rejicitur, quàm affirmatur.

12. De Solis Eclipſi tempore paſſionis Servatoris, quæ perhibeatur Univerſalis, talis autem non fuerit, iterum deſidero majorem diligentiam in perpendenda hiſtoria. 1. Recordari debemus Solem non interpoſitione Lunæ inter terram & Solem obſcurum hominibus apparuiſſe, ipſum in ſe ipſo obſcurationem paſſum, ut ita ubicunque viſus ſit, obſcuratio etiam ipſius viſa ſit. 2. Duravit per tres horas, intra quas percurrit octavam Cœli & terræ partem, inque ea conſpectus fuit ſub circulis omnium incolarum verticalibus. Conſpectus autem eſt non tantùm hiſce, ſed omnibus, quibus Sol intra trium horarum illud obſcurationis tempus ſupra Horizontem extitit. Vno verbo qui Solem viderunt etiam obſcurationem illam viderunt: poterant autem conſpicere terræ plus dimidiæ habitatores. Sed quid de reliquis? fortaſsè inquies: Quid attinet de illis quærere, cum ibi non dies, ſed nox fuerit? Vides ergò propriiſſimo omninò ſenſu Eclipſin illam univerſalem dici.

13. Dictum Obadiæ, ſervi Ahabi, dicentis, non eſſe locum ac regnum, quo Ahabus Eliam quæſitum non miſerit, author putat ita reſtringendum, quod miſerit in omnes partes regni ſui, ſed hæc reſtrictio nimis anguſta eſt, revera enim alia etiam regna intelligenda eſſe, vel ex unico hoc colligitur, quod Filiam Regis Sidonis uxorem habuerit. Adeoque nihil abſurdi, ſi colligamus, non tantùm in regnum illud, ſed etiam in vicina exploratores ipſum miſiſſe. Et quæ fuerunt regna Ahabo ſubjecta præter Iſraëliticum? Ex his ſi ita certè conſtat authori, quædam excipienda eſſe, oſtendat, quæ nam illa ſint? ut ſciamus, quomodo ſignum Univerſale ad reliquos applicandum ſit. Hoc donec præſtet, nos ſimplicē Univerſalitatem retinemus, ſaltem ita, quod Obadiæ nullum regnum

cognitum, quod excipiendum eſſet. Vt ita nihil cauſæ ſit, quo minus formulam loquendi ipſam pro Univerſali habeamus.

14. Dictum Act. 2. De omnis generis populis congregatis, cum Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus eſſet, Lutherus ipſe exponit omnis generis dictum non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorū, quæ limitatio itidem in diluvio locum non habet. De caritate univerſali ab Agabo Propheta prædictâ, & alterum de fide Romanorum toto orbe celebrata p. 36. quod attinet, etſi credibile eſt, particulariter de majori mundi parte exponi, de omnibus ſcilicet populis vulgo notis: non poteſt tamen Author demonſtrare, quod ita & neceſſariò, quidā excipiendi ſint.

15. Dictum JCtorum dicentium, nunquam in jure tam univerſalem eſſe propoſitionem, quæ univerſaliter omninò intelligatur, quin recipiat reſtrictionem aliunde, ineptè hîc allegatur, ineptius adhuc inde concluditur, dicta ſcripturæ univerſalia itidem particulariter explicanda. Cum aliud ſit lex & regula faciendorū, aliud narratio facti. In lege primariò Legislator ſenſum purè univerſalem intendit. Cum verò in actionibus quotidianis identidem occurrant circumſtantiæ â legislatore non prævisæ, quæ aliud quid ſuadeant, neceſſariò leges, quamvis univerſaliter conceptæ, quia tamen circumſtantiæ ejusmodi prævideri non poſſent, limitationem pati interdum coguntur. Aliter autem res ſe habet cum narrationibus rerum factarum, quibus, ſi univerſales ſint, præſertim tam diligenter à Spiritu S. inculcatæ, particulares opponere, eſt, fidei hiſtoricæ mendacii dicam ſcribere; nulla enim acrior contradictio quàm particularis adverſus univerſalem. Quid verbis opus eſt: aut verba Moſis particularem ſenſum admittunt, aut non admittunt: ſi non admittunt, quid ea ſugillas? ſi admittunt, oſtende, quomodo loqui debuerit Moſis, ut non admitterent. Quæ verò hæc ἀδιαλεχία eſt? verba Spiritus Sancti particularia facere, quæ ſenſu Univerſali ab omnibus Grammaticis acciperentur.

16. Tandem pro certo habens, partem tantùm orbis aquis diluvii fuiſſe obrutam, inquit, quæ nam illa pars fuerit? & poſt multa concludit: Aſiam vel totam, vel maximam ejus partem fuiſſe, ultrà autem aquas non eſſe progreſſas, quia ſcil. in aliis regionibus homines non fuerint. Eodem argumento & ferè ſolo alter Author ſuprà à nobis nomi-

natus utitur. In quo argumento, ſi terminos ex ſententia horum authorum colligas, naſcetur hic Syllogiſmus: In qua regione fuerunt homines peccatores, ea eſt obruta diluvio. Sed in nulla alia regione fuerunt homines pecctores, quàm in Aſia. E. ſola Aſia obruta eſt diluvio. Perindè ac ſi argumentarer: Aſinus fuit in arca Noë, equus non eſt aſinus. E. equus non fuit in arca Noë. Et hoc eſt egregium argumentum, quod movit hos viros, ut tanto conatu tantas nugas agerent, & Spiritui Sancto in os contradicerent. Tu benevole Lector, vide ſi placet, ſupra in refutatione Voſſii Theſ. 13. & videbis quas cauſas videatur habere Deus, ut ſubmergeret eas etiam terras, quæ ab hominibus habitatæ non fuerunt. Quemadmodum & illi commento, quaſi Deus aquas per ventos in cumulum (in Aſia ſcilicet) compulerit, cohibueritque, ne ulterius fluerent, ſatis ſuperque ſupra, contra Voſſium Theſi 44. ad literas SS. accurſum eſt. Sed hîc ſubſiſto, ubi brevitas temporis ſubſiſtere me jubet: reliquis, quæ fortè etiam videri poterant tangenda, alii occaſioni reſervatis. Deus nos in Veritate & devotâ verbi ſui veneratione conſervet, & ab erroribus omnibus, quibus hoſtis veritatis venerationem illam in animis hominum extingerere & enervare conatur, clementer præſervet. Amen.